DE IDOLOLATRIA CONTRA SECTARIORVM CONTVMELIAS Disputatio;

VNA CVM APOLOGETICO ADVERSVS IACOBVM HEERBRANDVM Lutheranum; & CONFVTATIONE calumniarum, quibus idem spongiam quandam suam leuissimam repleuit.

Omnia nunc emendatiora, eodemque volumine comprehensa.

AVTORE

GREGORIO DE VALENTIA Societatis IESV Theologo.

S. IVDAS.

Quæcunque ignorant, blasphemant.

INGOLSTADII
Apud DAVIDEM Sartorium.
Anno M. D. LXXX.

DAVID SARTORIVS INGOLSTADIENSIS TYPOGRAPHVS PIO Lectori S.

PRODIIT *ex officina nostra mense Septembri proximè præterito, Heerbrandinæ cuiusdam spongiæ de Idololatria confutatio, authore R. P. Gregorio de Valentia. Sed cùm ob angustias tẽporis, quibus tunc vrgebamur, pauciora quàm voluißemus ediderimus exemplaria, gratum tibi candide lector facturos nos esse arbitrati sumus, si eam confutationem denuo in incudem reuocaremus. Ne verò priores item tractatus, qui ab eodem authore de Idololatria conscripti occasionem spongiæ præbuerunt, fortaßis desiderares, (eorum enim vix ampliùs exempla prostant) visum est eadem opera illos etiam recudere, atque adeò omnia, quæ ab authore hoc de argumento, pro innocentia Catholicorum, contra Sectariorum conuicia sunt disputata, vno volumine, eoq́ue ordine, quo priùs edita fuerunt, comprehensa, atque etiam nitidiùs & emendatiùs, quàm priùs excusa tibi dare: Nihil dubitantes quin, ob grauißimæ inprimisq́ue controuersæ materiæ vtilitatem, studium hoc nostrum tua beneuolentia & fauore sis prosequuturus. Vale.*

DISPVTATIO *hæc orthodoxa eſt, & digna, quæ typis excuſa publicè proponatur: Ita iudico* CHRISTOPHORVS PARCHINGIVS, *Collegij Theologici pro tempore Decanus.*

APOLOGETICVS hic aduersùs Heerbrandi cuiuſdam nænias & ſycophantias, ſingulari eruditione & accuratè cõſcriptus eſt, nihilq́; continet Orthodoxæ & Catholicæ doctrinæ contrarium. Ideoq́; tutò & ſumma cum lectorum vtilitate typis excudi illum poſſe cenſeo

CASPARVS FRANCVS *S. Theologiæ D. & Profeſſor, Protonotarius Apoſtolicus, & Collegij Theologici in inclyta Academia Ingolſtadienſi pro tempore Decanus.*

CONFVTATIO hæc calumniarum Heerbrandi Lutherani, quibus is ſpongiam quandam ſuam leuiſſimam nuper repleuit, atq; Doctoris GREGORII DE VALENTIA Catholicum & doctum Apologeticum de Idololatria aſpergere ac obſcurare conatus eſt, Catholica & docta eſt, adeóque typis digniſſima.

Sic teſtor ego ALBERTVS HVNGERVS, *S. Theologiæ D. & Profeſſor ordinarius, & Procãcellarius in Academia Ingolſtadiana.*

Poſterior approbatio omnium.

OMNIA, quæ contra Heerbrandum Hæreticum ſcripſit R.P. GREGORIVS DE VALENTIA vtiliter recudi poſſe iudico

Ego BARTHOLOMAEVS VISCHERVS *D. & pro tempore facultatis Theologicæ Decanus.*

PRÆFATIO AD CHRISTIA-NVM LECTOREM.

SECTARIORVM disciplinam totã'ini quis aduersus Catholicos calumniis, crassis mẽdaciis, ac malis fraudibus cõstare, planissimum est. Nam præterquàm quòd in singulis de Religione cõtrouersiis, à quàm plurimis est hoc euidenter demonstratum; vel ex eo etiam perspicuum id est, quod fieri certè aliter non potuit, vt tam multi essent, quibus homines parùm acuti probârint vanissima dogmata, quæ sunt cum doctrina cœlesti, adeoque cum vera Religione & Fide maximè pugnantia. Inter cætera verò, quæ illi nequiter Ecclesiæ Catholicę affinxerunt, illud non postremum est, quòd cultũ varij generis, in ea piè ac sanctè

vſurpatum, nefandam Idololatriam eſſe, impudẽtiſſimè mẽtiuntur. Qua fraude eò illi ad decipiendum vtuntur & libentiùs & crebriùs, quò ſperant faciliùs fore, vt eo crimine, cuius vel nomen ipſum eſt deteſtabile, Catholicis obiecto, ſimpliciũ animi ab Eccleſia alienati, ipſorum inſtitutũ doctrinamq; ab illa abhorrentẽ complectantur. Igitur ſiue concionantur ad populum, ſiue ſcribunt aliquid, vbi primùm eorum oratio in Catholicos frigidior ipſis videri cœperit, illicò ſe ad hunc communem conuiciandi locum, nulla etiam expectata opportunitate, recipiunt. Hîc plenis buccis ineptias innumerabiles contra Catholicos effutiunt: Hîc non dubitant, quin maledicus ipſorum ſermo futurus ſit multitudini plauſibilis. Cumq; cæteris in rebus ſint nouitatis amantiſſimi, veteráque faſtidiant; in hoc tamen conuitiandi genere veterum eos Hæreticorũ ſectari

ſtudium minimè pudet, hoc eſt, Vigilantij, & aliorum, quos proditum eſt, pari impietate ac impudentia Catholicos, ob eadẽ cultus genera, Idololatrię inſimulâſſe. Huic tam inſigni aduerſariorum calumnię, vt præſenti diſputatione ex inſtituto occurreremus, partim nos impulit calamitas plurimorum, quos illi, hac inprimis fraude, miſerabili errore implicatos tenent; partim ipſorum aduerſariorum tum improbitas, quam exiſtimauimus coarguendam, tum etiam ignorãtia, quæ ſic in illis cum improbitate certat, vt neſcias, vtriuſnã maior ratio ducenda ſit, improbitatíſne ad arguendum, an ignorantiæ ad erudiendum illos, ſi fieri fortaſſe poſſet, vt veritatis atq; doctrinæ luce aliqua recepta, aliquid de maledicendi & calumniandi ſtudio remitterent. Cęterùm hanc in diſputatione rationem ſeruare ſtatuimus: Primùm doctrinã, quæ ad huius vitij naturam prorſus

cognoſcendã pertinet, duobus prioribus capitibus ſimpliciter trademus. Deinde tribus aliis ex ipſa huius vitij ratione monſtrabimus, quàm ſint aduerſarij vani & inepti, cùm varios Eccleſiæ cultus, velut Idololatricos, inſectantur. Quibus ſi fortè videbimur interdum eſſe paulò vehementiores, meminerint, quæſo, ſe in hoc argumenti genere vſque adeò fuiſſe inſolentes, vt ad tantam procacitatem retundendam vix vlla profectò verborum acerbitas ſatis eſſe poſſit. Porrò verò quæcunq; dicturi ſumus, ſanctæ Romanæ Eccleſiæ iudicio atq; cenſuræ ſubiecta eſſe volumus.

DE IDOLOLATRIA

CONTRA SECTARIORVM CONTVMELIAS Disputatio.

CAPVT PRIMVM, QVID PROPRIE IDOLOLATRIA SIT, ET QVA RATIONE dignoſcenda.

IDOLOLATRIA GRÆCE, *ſi vim verbi ſpectes, Latinè ſimulachrorum cultura eſt; ſed effecit vſus, vt eo nomine impius tantummodò intelligatur cultus, quo creaturæ diuinus honor exhibetur.*

HINC *duo neceſſe eſt concurrant, vt Idololatriæ crimen admittatur: Vnum eſt, vt quod honoris vel cultus creaturæ tri-*

buitur, id vni Deo debitum sit: Alterum, vt hoc, quidquid est honoris Diuini, ita verè impendatur creaturæ, sicut Deo impendi oportebat.

In Cõmentariis super 5.c.Epist.ad Ephesios. Habes infrà c.1.Apolog. hanc diffinitionem probatam ex Sacris etiam literis.

VTRVMQVE *D. Ambrosius est complexus, cùm succinctè dixit: Idololatria Dei honorificentiã vsurpat, & vendicat creaturæ. Ergo vtroque istorum concurrente, verum Idololatriæ crimen erit; alterutro vel vtroque deficiente, non erit.*

AD HANC *sententiam, velut ad generalem regulam, recurrendum est, quoties de particulari aliquo facto dubitatur, vtrùm sit Idololatricum: Huc nos aduersarios postea reuocabimus, cùm eorum arguemus imperitiam atque impudentiam, quòd sine ratione Ecclesiam Catholicam huius criminis accusant.*

ETSI *verò illi, vt sunt Theologi sanè simplices, præter hæc, quæ breuissimè dicta sunt, nihil ampliùs fortassis de Idololatriæ ratione concipient: tamen quò ex regula nũc posita, illorum fiat inscitia ac impietas clarior, vlteriùs progrediendum est; & dili-*

diligenter explicandum: Primò, vndenam iudicare oporteat, honorem aliquem esse Diuinum. Secundò, vnde item, honorem eiusmodi verè impendi creaturæ: Quæ duo (cùm rationem ipsam Idololatriæ contineant) nisi dextrè discernantur, de Idololatria iudicari omnino non potest.

REFERT *verò ad istorum primum explicandum, notare, quid in proposito nominemus Dei honorem siue cultum, quem indagare volumus. Honor,*[a] *generatim loquendo, testificatio dignitatis siue excellentiæ alicuius est: Testificatio huiusmodi opinionē existimationémue de alicuius excellentia parit: Existimationē porrò de excellentia alicuius non verbo solùm, sed etiam officio excitare possumus. Sic igitur quidquid honoris ergò gerimus, accommodatè ad excitandam in nobis, aut in aliis eam de excellentia opinionem, quæ in Diuinam maiestatem propriè conueniat, id totum hoc loco cultum honorémue Diuinum censemus.*

[a] Ita colligitur ex Philosophi doctrina, 8. lib. Ethi. cap. 8. quam declarat benè S. Thomas 2. 2. quæst. 103. Artic. 1. & confirmat etiā Scriptura sacra, vt habes infrà c. 3. Apolog.

HOC

HOC posito, quòd genus aliquod officij sit diuinum, id primò cognosci interdum potest ex ipsius officij, siue natura, siue conditione: Hæc enim quandoq; tantæ dignitatis existit, vt manifesta peruersitas sit, officium eiusmodi ad honorandam creaturam transferre.

HVIVS generis est inprimis sacrosanctum Missæ Sacrificium; in quo, quia Diuina persona religiosè offertur (fremant licet atque rumpantur infelices Hæretici) perspicuum est, id officium ad Diuinum tantummodò pertinere cultum.

TALE quoque est internum mentis Sacrificium, quo religionis studio accensus quispiam, totum se deuouet ac consecrat Diuino numini. Vt enim mens à solo Deo processit: sic eidem illa soli honoris ac reuerentiæ ergò deuouenda est, prætereà nemini.

POTEST secundò Diuinus honor discerni ex ritu & consuetudine communi, si quæ obtinuit, vt genus officij aliquod non nisi ad Diuinum cultum vsurpetur: Nam et hac etiam ratione efficitur honor aliquis

Dei proprius. Sic olim communi populorũ vsu fiebat, vt nemini, præterquàm numini Diuino, animalium immolatione aut alio officij genere sacrificaretur.

HINC *illa D. Augustini sententia est: Multa de cultu Diuino vsurpata sunt, quæ honoribus deferuntur humanis; siue humilitate nimia, siue adulatione pestifera; ita tamen, vt quibus ea deferuntur, homines haberentur, qui dicuntur colendi & venerandi; si autem eis multum additur, & adorandi. Quis verò sacrificandum censuit, nisi ei, quem Deum aut sciuit, aut putauit, aut finxit. Hinc lege veteri sic cauebatur: Qui immolat Diis, occidetur, præterquàm Domino soli.* Lib. 10. de Ciuit. Dei cap. 4. Exod. 22.

AC *huius quidem veteris consuetudinis ea vis est, vt quamuis iam nefas sit, ad honorandum Deum vti alio externo sacrificio, præterquàm illo sacrosancto & abundantissimè sufficienti, quod in Missa peragitur; Idololatra tamen meritò habebetur is, qui creaturæ alicui honoris causa more veterum immolaret. Adeò in hominum*

num mentibus ob consuetudinem priscam est insitum, genus hoc honoris esse diuinum.

EST & aliud caput, vnde iudicari tertiò potest, cultum aliquem ad Deum tantummodò pertinere: Intentio nimirum eius, qui officium aliquod confert ad reuerentiam vel honorem. Nam si huic animus est de re, quam honorat, per officium excitare opinionem excellentem, qualis de Diuina maiestate solummodò haberi potest; tunc quidem officium id, quatenus illa intentione exercetur, ad honorem Diuinum spectat solùm.

ATQVE hæc sanè nota discernendi cultum, qui sit Dei proprius, patet quàm latissimè. Nullum enim genus externæ reuerentiæ est, quantumuis ex sua natura ad honorandam quoque creaturam aptum, quod non possit intentione dicta, effici propriũ religionis. Igitur si quis, vt rei, quam honorat, opinionem Diuinæ maiestati soli conuenientem conciliet, vel genua flectat, vel pectus feriat, vel manus tollat, aliúdue quodcunque huiusce generis officium

vsurpet,

vſurpet, is quidem Diuinis honoribus dat operam.

EXPOSVI *tres quaſi notas diſcernendi cultus Diuini. Reſtat nūc illud alterum, quod erat ſecundo loco explicandum: Quis nimirum verè cenſeri queat, diuinum cultum conferre creaturæ tanquam Deo. Primùm, cùm conferre alicui honorem, humana quædam actio ſit, voluntate hoc inprimis peragatur neceſſe eſt; Non minùs certè, quàm ſi pecunia ſit, aut munus aliud cuipiā conferendum.*

HOC *poſito, breuiter dici poteſt, eum Diuinos honores creaturæ cōferre vt Deo, qui eam Diuino cultu ſic proſequitur, vt eo, quantum in ſe eſt, velit illi opinionem conciliare talem, qualis reuera in ſolam Dei maieſtatem competit. Ita, intentio illa, ex qua paulò antè dicebamus poſſe tertiò cognoſci cultum aliquem eſſe Diuinū, ſemper quoque neceſſaria eſt, vt is ipſe cultus creaturæ tribuatur, perinde ac Deo tribui ſolet.*

EFFICIEMVS *hoc ſtatim planum, ſi priùs alterum, quod ad rem non parum*

ſpectat,

ſpectat, monuerimus: Videlicet, quòd quis per cultum velit de creatura excitare opinionem, quæ Deo ſoli conueniat, id nõ vnico, ſed multis poſſe modis accidere. Primò expreſſa atque præſenti intentione; quæ ſumma eſt hoc in genere peruerſitas. Secundò ex vi prioris intentionis tantummodò, qua quis anteà ſtatuiſſet, ea colendi ratione proſequi creaturam. Tertiò (vt ita dicam) implicitè, hoc ipſo videlicet, quòd quis, aut metu, aut aliorum conſuetudine ductus, aliáue ratione obcæcatus, idipſum per creaturæ venerationem generatim facere intenderet; quod intendat neceſſe eſt is, qui creaturæ Diuinos honores reuera exhibere velit: aut ſi omnino ita extrinſecùs creaturæ diuinum cultum adhibeat, vt alij meritò exiſtimare queant, ipſum illi velle diuinitatis opinionem conciliare.

ATQVE *hoc ſanè poſteriori modo nimirum tacitè ſiue implicitè facilè poteſt euenire, vt etſi quis verum Deum agnoſcat, vanitatemq́; Idololatricam probè intelligat, incautè tamẽ re ipſa admittat illã.*

Sic

Sic illis accidisse videtur, quos Apostolus damnat, quia cùm Deum cognouissent, non sicut Deum glorificauerunt, &c. Sed mutauerunt gloriam incorruptibilis Dei in similitudinem imaginis corruptibilis hominis, & volucrum, & quadrupedum, & serpentum. Rom. 1.

SIC *Seneca quoque non tam veri Dei ignoratione, quàm populari consuetudine deceptus, Idololatra fuisse videtur; quod illa ipsius, apud Augustinum, sententia de Deorum religione declarat: Ita, inquit, adorabimus, vt meminerimus, huiusmodi cultum magis ad morem, quàm ad rem pertinere. Et Lactantius quidem similem peruersitatem in Cicerone vituperat, quem inter cætera his verbis alloquitur: Video te, inquit, terrena & manufacta venerari; vana esse intelligis, & tamen eadem facis, quæ faciunt ipsi, quos tu stultissimos confiteris. Notauit etiam in Platonicis Augustinus insipientiam non dissimilem.* Li. 6. de Ciuitate DEI cap. 6. Li. 2. de Origine erroris cap. 3. Lib. 10. de Ciuit. Dei cap. 1.

NVNC *illud quoque hoc loco notare prodest, non solùm variis modis, vt dictum*

est, posse quempiam de creatura per cultum excitare velle opinionem, quæ Deo soli conueniat: Sed etiam opinionem huiuscemodi esse multiplicẽ. Sunt enim plurima, quæ de nullo alio præterquam de Deo, sentiri possunt. Proinde quidquid illorum in creaturam competere, cultu atq; veneratione eius protestari velis, Idololatriam committes.

HINC facilè fieri olim potuit, vt etsi ex gentibus nonnulli quædam de Deo verè cognoscerent, eiusq; propria esse protestarentur; at quædam alia tamen non minùs Diuina, cæco errore creaturæ tribuerent, eique conuenire impio cultu significarent. Itaque vel ob id ipsum Ethnici deprehenduntur Idololatræ fuisse, quòd officiorum prouincias alias aliis creaturis distribuebant, vt Diis, qui supremam inter se haberent diuisam rerum prouidentiam. Vnde Sapient. 13. *& Sapiens eorum stultam superstitionem grauiter coarguit, qui aut ignem, aut spiritum, aut citatum aërem, aut gyrum stellarum, aut Solem & Lunam, rectores orbis terrarum Deos putauerunt.*

HIS

HIS ita constitutis, quòd, vt diximus, creaturæ tanquam Deo conferre honorem Diuinum sit, velle (aliquo ex suprà dictis modo) illi per eum ipsum honorem conciliare existimationem aliquam præcellentem, quæ in solum Deũ conueniat; deducere sic possumus: Honorem hoc ipso alicui personæ tribuimus, quòd efficimus, vt sit suus; eo modo certè, quo solemus honorem in bonis alicuius etiam numerare: Rursus honor aliquis, hoc ipso est alicuius, quòd, quantum ex se est, existimationem illi affert eam, quam iuxta genus seu conditionem suam excitare potest: Proinde eiusmodi existimationem alteri accedere necesse est, vt velit is, qui honorem illi tanquam munus quoddam donat: Consequenter, cùm Deo honorem Diuinum tribuimus, hoc sanè volumus, vt illa existimatio redũdet ad Deum, quam honor ipse Diuinus ex conditione sua parere potest, id est, quæ in Diuinam maiestatem propriè conueniat: Ita fit, vt (quemadmodum diximus) tum verè aliquis diuinum honorem creaturæ tribuat, Cap. 1.

Hanc rationem habes infrà in Apologetico ca. 3. iterum ex sacris etiam literis cõfirmatam.

ſicut ſolet tribui Deo, cùm ſimiliter vult inde ad creaturam redundare exiſtimationem, quæ competat Deo ſoli.

In Commẽta. ſuper 1. c. Epiſtolæ ad Rom. & 5. ad Epheſ. & 3. ad Coloſ.

IGITVR *quòd Ambroſius repetiuit aliquoties veriſſimè, Idololatras Diuinitatis nomen atque illius honorificentiam creaturis dare; id ſanè eam, quam diximus modò, ſententiam habet ſubiectam; velle nimirum illos aliquo ex ſupra dictis modo Diuinitatis opinionem propriam creaturis per cultum conciliare. Hanc voluntatem ſi omnino quis neque explicitè neque implicitè vllo modo habeat, veram Idololatriam non admittet. Cur ita? Quoniam non illi dabit Diuinum honorem; ſiquidem nullo modo vult id, quo ad creaturam is honor potuiſſet pertinere; videlicet vt ad illam opinio Diuinitatis propria redundet ex eo cultu.*

POSSVMVS *hoc ipſum confirmare facili exemplo. Quoniam is verus pecuniæ Dominus eſt, qui ſuo illam arbitratu licitè vſurpare poteſt, idcirco nemo alicui pecuniam donare cenſetur (etiamſi in manum illi*

illi

illi eam imponat) nisi velit, ipsum pro arbitrio pecunia vti. Sic, quoniam (vt est dictum) honor non censetur esse alicuius, nisi qua ratione illi, quantum est in se, affert existimationē ipsi honoris generi cōgruentem, idcirco nisi quis aliqua ratione velit ex honore Diuino Diuinam existimationem creaturæ prouenire, minimè censeri debet, creaturæ Diuinum honorem impertiri.

HINC *fit, vt in theatris nemo sapiens Idololatras iudicet esse actores eos, qui vt personæ decorum seruēt, actorem alterum, velut Iouē implorant, ei supplicant, aliasq́; more gentium coram eo ceremonias exequuntur. Videlicet nulla ratione hoc faciunt animo conciliandi creaturæ eam existimationem, quæ in Deum tantummodò conueniat: Quo ipso intelliguntur, diuinos honores minimè conferre in creaturam.*

APPARET *itaque, per externam ceremoniam tantùm, si voluntas, tum expressa, tū tacita omnibus modis absit, crea-*

turæ per cultum conciliandi existimationem soli Deo conuenientem, nunquam Diuinos honores illi verè conferri, sic vt committatur Idololatria: Tametsi alterius generis peccatum ea ratione committi possit.

NVLLVSNE *igitur (dicet aliquis) Idololatra exterior esse poterit? Poterit sanè: Nam & Doctores Idololatriam non inutiliter diuidunt in interiorem, & exteriorem. Cæterùm Idololatria hæc exterior non intelligitur admitti, cùm voluntas penitùs abest excitandi de creatura opinionem, quæ in Deum conueniat, adeoq́ conferendi ei Diuinos honores: Sed cùm veneratio creaturæ ab infidelitate interiori, qua creatura putetur Deus; aut etiam ab expressa voluntate conciliandi creaturæ diuinam existimationē, non procedit: Vti nos infrà suo loco declarabimus magis: Vbi illud etiam ostendemus, voluntatem conferendi creaturæ Diuinos honores minimè connexam esse cum eiusmodi infidelitate, qua creatura putetur Deus.*

Sic exponit S. Thomas (quem communiter in hoc Doctores alij sequūtur) 22. q.94. Artic. 3. ad 1. & idem significat Artic. 2. eiusdemq.8. præsertim argum.3.

NVNC

NUNC satis sit illud, quod erat nobis initio propositum, exposuisse: Unde videlicet honor DEI *proprius dignoscendus sit, unde item cognoscendum, quòd ille reuera tribuatur creaturæ: Quorum primum ad Idololatriæ materiam, secũdum ad actum, quo illa propriè cõtinetur, spectare, rectißimè dixeris. Hæc duo, quàm nõ poßint euincere aduersarij (tametsi frangantur) in ullo Ecclesiæ Catholicæ cultu coniuncta esse, planum faciemus, ubi quædam priùs de hoc eodem argumento expedita fuerint.*

Sequebatur hîc Cap. Disputationis secũdum, quo explicabatur quale & quantum peccatum Idololatria sit, & q̃bus modis olim ab Ethnicis fuerit commissum, & quæ item illius fuerit origo; sed hæc omnia in 4. cap. Apologetici postea, cùm ab Heerbrando impugnata non essent, & ad doctrinæ ordinem complendum spectarent, repetuntur:

Infrà vide.

CAPVT III.

MAGNAM ESSE HÆRETICORVM IMPVDENTIAM, QVOD CATHOLICOS velut Idololatras apud plebem mendaciter traducunt ob ſacroſanctę Euchariſtiæ, vel Sanctorum, vel imaginum & reliquiarum ſacrarũ cultum: Ac primò nullam adoranda Euchariſtia Idololatriam committi.

QVÆ hactenus expoſita ſunt, ea ſatis eſſe arbitror, vt de Idololatria iudicari poſſit. Nũc ex iis videamus, iuréne an iniuria aduerſarij Catholicis affingant hoc ſcelus. Tria ſunt omnino, quæ ipſis Idololatrica inprimis videntur: Adoratio S. Euchariſtiæ: Sanctorum cum Chriſto in cælis regnantium cultus: Sacrarum imaginum atque etiam reliquiarum veneratio. Hæc nos modò, ab aliis ſæpe defenſa, non iterum aſſeremus: Tantùm illa breuiter ab

Idolo-

Idololatriæ ſcelere, adeóque ab iniqua hominum vaniſsimorum calumnia vendicabimus.

INCIPIAMVS *ab Euchariſtia; & primùm accuſationem ipſam audiamus. Qui Sacramenti adorationem excogitârunt, inquit Caluinus, eam non modò à ſe ipſis ſomniârunt ſine ſcriptura, vbi nulla illius mentio oſtendi poteſt, (quæ tamē non fuiſſet prætermiſſa, ſi Deo accepta foret) ſed reclamante ſcriptura, ſuæ ſibi libidinis arbitrio Deum fabricati ſunt, derelicto Deo viuente. Quid enim eſt Idololatria, ſi hoc non eſt; Dona pro Datore ipſo colere? Et paulò pòſt: Ex ſancto eius Sacramento, inquit, factum eſt execrabile idolum.* Li.4. inſtit. cap.17. ſect. 36.

SED *minus fortaſſe mirum, quòd homo impius, qui præſentiam realem Chriſti Domini in hoc Sacramento negat, impium & Idololatricum eiuſdem eſſe cultum conſequenter aſſeueret. Lutherani mihi videntur hac in parte multò craſsiores: Qui etſi agnoſcant, Chriſtum verum Deum in hoc Sacramento contineri; iidem tamen, cùm*

illum ad alium vsum, præterquam ad comedendum & bibendum, non admittant, Idololatras, seu, vt illi nugari solent, artolatras nos esse, quòd Eucharistiam adoremus, calumniantur.

* In posteriori disputatione de Missa thesi 27. In disputatione de noua religione thesi 43.

* CONSTANTER (*inquit Heerbrandus suorum sententiam magistrorum referens*) *affirmamus,* (*Diabolica obstinatione mihi videmini*) *Missam esse cultum impium & Idololatriæ plenum. Et alio in loco: Panem à se in Deum magica incantatione consecratum* (*egregiè sanè honorat homo iste Euangelicus verba Christi*) *circumgestant, eúmque miseris & malè persuasis hominibus adorandum proponunt. Ac paulò pòst: Cœna inquit, Domini non ad hoc est instituta, vt circumgestetur, custodiatur, vel adoretur; sed vt accipiatur & comedatur. Sed hæc inquit, Artolatria crassior est & recentior, quàm quæ responsione digna sit, &c.*

a Greg. Nazianzenus in oratione de laudib. Gorgoniæ Soro-

HIS primùm facilè possemus opponere [a] veterum Patrum sententias, ex quibus est perspicuum, antiquissimam in Ecclesia con-

consuetudinem obtinuisse, vt Eucharistia adoraretur: proindeq́ illius cultum non esse crassam Artolatriam, vt ait Heerbrandus; sed crassissimum esse potiùs ipsius mendacium, quòd impudenter audet iactare, recens hoc esse institutum. Cæterùm, quoniam adeò sunt isti omnes perfrictæ frontis, vt etiam vniuersam Ecclesiam, quæ vnquam fuit, Idololatriæ damnare, nihil vereantur; alia ratione impudentem eorum calumniam refellemus.

ris: Cyrillus Hierosolymitanꝰ cate. Mysta. 5. Augu. epi. 120. ad Honoratũ; & in Psal. 21. quibus locis huc illud refert, mãducauerunt & adorauerunt omnes diuites terræ. Ambr. li. 3. de Spiritu sancto c. 12. Chrys. Hõ. 24. in 1. Epi. ad Corinth. & alij plurimi.

* Cap. 1.

*CONSTITVIMVS *suprà duo esse omnino, sine quibus Idololatriæ ratio consistere non possit. Vnum est, vt cultus, qui vsurpatur, sit diuinus; alterum, vt verè ille tribuatur creaturæ, sicut solet Deo. Cultum nos vsurpare diuinum, cùm Eucharistiam adoramus, non inficiamur: Illum creaturæ nos dare, negamus constantissimè.*

NON *de substantia panis (quam nullam in Sacramento agnoscimus) non de ipsis accidentibus per se, (vt quæ creaturæ sunt) sed de Christo vero Deo, sub illis contento e, xistimationem volumus excitare.*

Diuina

Diuinæ maiestati conuenientem. Proinde (iuxta illa, quæ sunt à nobis superiùs disputata) veneratione Eucharistiæ ad Christũ ipsum, non ad creaturam vllam, cultum referimus diuinum: Ideoq; quantumlibet Blaterones isti præ conuiciandi libidine atque impetu crepent medij, Idololatras, vel, sicut ipsi ludunt, artolatras hoc cultu nos esse, non probabunt in æternum.

Cap. 1.

DICENT *Caluinistæ, falsò poni omnino, quòd Christus Dominus in Sacramento adsit præsens; donum enim Christi, non Christum ipsum Sacramẽto contineri; proinde Idololatras nos esse, quòd donum (vt ait Caluinus) pro ipso Datore veneremur. Probent id primùm; ostendant, si possunt, Datorem hic non esse etiam donum ipsum, quod religiosè colimus: Tunc demum fatebimur, nos esse Idololatras.*

Loco suprà citato.

AVGVSTINVS *certè, cùm Christus discipulis panem porrigeret, dicens: Hoc est corpus meum; eum ait suis se manibus mirabiliter portauisse. Ita, cùm illud dederit discipulis, quod manibus tenebat; idem ipse*

Super Psal. 33. Concione 1.

profe-

profectò & dator & donum fuit; quod proinde adorare Idololatria esse minimè potest. Verùm nõ deflectam ab instituto meo, præsertim cùm sæpe sit à multis veritas p̃sentiæ Christi in Sacramento aduersùs hos sacrilegos tã diuini mysterij derisores confirmata.

AT sine scriptura est (inquit Caluinus) hoc genus adorationis introductum. Primùm, hoc ad probandum Idololatriam in ea veneratione inesse, nihil pertinet. Deinde, sæpe iam est à Catholicis demonstratum, non ideo aliquid esse reiiciendum, quòd in scriptura non habeatur expressè. Neque ego sanè existimo, aduersarios posse rationem omnem falsæ religionis, quam suis in Synagogis seruant, in scripturis expressam ostendere. Vbi suprà.

PRÆTEREA *respondemus, scriptura nos inprimis, vt Eucharistiam veneremur, admoneri. Quo nam loco? Illis profectò omnibus, quibus Deum infinitum adorare iubemur. Nisi fortè aduersarij dubitant,* CHRISTVM, *quem adorare nos in*

Eucha-

Eucharistia profitemur, esse Deum. Mitto, ex Patribus non deesse, qui locum illum: Adorate scabellum pedum eius; ad huius Sacramenti cultum referant.

Sic D. Ambro. lib. 3. de Spiritu sancto ca. 12. & D. Augusti. sup Psal. 98.

AT enim scriptura (inquit quoque Caluinus) quoties Christi meminit, mentibus sursum erigi iubet, & ipsum in cælo quærere sedentem in Patris dextra. Quid tum? Nunquid idcirco vetat adorare illum in alio loco? Quid? Cùm iubētur ciues Regē in suæ maiestatis solio sedentē venerari? an ppterea in cubiculo, in foro, in aliis locis, suo est ille honore priuandus? Dicet Caluinus: Non est Christus in Sacramento. Videt igitur, nisi huc se recipiat, colorem per se habere nullum id, quod aduersùs Eucharistiæ adorationem peculiariter vrgebat, iuberi nos Christum adorare ad dextram Patris considentem. Sed quàm sit suum illud perfugium sacrilegum, iam antè diximus.

Vbi suprà.

Refert hoc suorū argumētū magistrorū Heerbrandus in disputatiōe de noua religione, Thesi 43. & Caluinus idē insinuat libr. 4. vbi suprà.

OBIICIVNT *porrò Lutherani (quod & Caluinus attigit) Eucharistiam, vt sumatur, non vt colatur, institutam esse; proinde vanum esse & Idololatricum, illam diuino*

diuino cultu afficere. Respondemus: Neque Christus natus est præcipuè, vt adoraretur, sed vt redimeret genus humanum. Nihilominus à B. Virgine, & Magis, in stabulo; ab illuminato cæco, extra Synagogam; à Latrone, in cruce; ab aliis, aliis in locis religiosè est adoratus. Matth. 7. Iohan. 9. Lucæ 23.

SED & *Pater æternus quãuis alia præcipuè de causa (vt dictum est) filium suum miserit in mundum; tamen cùm introduceret illum in orbem terrarum, ad Angelos quidem dixit (ait Apostolus) Et adorent eum omnes Angeli eius. Equidem si Lutherani eos non honorant, qui ad se alia præcipuè de causa, quàm vt honorentur, veniũt; valdè sunt crassi & inciuiles: Quòd si hos quoq; honorant, cur non etiam Christum, tametsi alia de causa inprimis in Sacramẽto ille sese exhibeat? Nunquid Principem, cùm negotiorum causa potissimùm ad ciuitatem vénit, nec honore dignabuntur, nec intra mœnia consistere patientur, vbi primùm negotia tractare (sicut est interdũ necesse) intermittit? Minimè sanè arbitror.* Hebr. 1.

QVÆ est igitur hæc non impietas modò, sed etiam rusticitas, Christum redemptorem nostrum, quoniam, vt nos spiritualiter pascat, in Sacramento se summa charitate sistit, ad pastum duntaxat illum more pecudum velle tractare; non suo illum in Sacramento honore dignari; non, nisi dum sumitur, velle ibi agnoscere; non inuocare; non ad alios Diuinos vsus, quorum ad pias mentes redundant fructus vberrimi, asseruare tantisper? Apage hominum stupidissimorum impietas.

In libro ad Calosyriũ. INSANIVNT, *inquit Cyrillus, qui aiũt, mysticam benedictionem nõ valere ad consecrationem, vt remaneant reliquiæ eius benedictionis ad alterum diem, &c. Verùm nos de existentia Christi in hoc Sacramento citra illius vsum agere non constituimus: Tantùm hæc attingere voluimus, vt Lutheranorũ insania circa huius Sacramenti cultum notaretur. Quæ sanè vel ex eo magna est, quòd, cùm in ipso saltem vsu fateantur Christum hoc Sacramento contineri, ne tunc quidem illum venerari volunt.*

SED

SED *opponet adhuc quispiam fortaßis* [ho]*c modo: Eucharistia ipsa Christus non* [es]*t, sed Christi potiùs Sacramentum,* [i]*deoq́ creatum quippiam: Catholici Eu*[c]*haristiã adorare se profitẽtur: Sunt igitur* [I]*dololatræ. Respondemus: Vt venerari ho*[m]*inem album, & vestitum, non est vene*[r]*ari ipsam per se albedinem, aut vestes, sed* [h]*ominem affectum albedine et vestibus cõ*[t]*ectum; sic Catholicos adorare Euchari[s]ti*[a]*m est, non ipsas per se species Sacramenti,* [s]*ed Christum, illis mirabiliter contentum* [a]*dorare. Ita, nulla hîc est Idololatria.*

HANC *esse Ecclesiæ Catholicæ in huius* [S]*acramenti culturationem, Concilij Tri*[d]*entini Patres apertè declarârunt, cùm ita* [t]*autè inquiunt: Si quis dixerit, in sancto* [E]*ucharistiæ Sacramento, Christum vni*[g]*enitum Dei filium non esse cultu Latriæ,* [e]*tiam externo, adorandum; & eius ado*[r]*atores esse Idololatras, anathema sit. Ex*[p]*onunt illi nimirum, quo sensu accipien*[d]*um sit, quod antea sic dixerant: Nullus* [i]*taque dubitandi locus relinquitur, quin*

Sesione 13. Can. 6.

Capit. 5. eiusdem Sesionis.

omnes Christi fideles pro more in Catholica Ecclesia semper recepto, Latriæ cultum, qui vero Deo debetur, huic sanctissimo Sacramento in veneratione exhibeant.

CAPVT IIII.

PERINDE VANVM ESSE, QVOD HÆRETICI IACTANT, SANCTORVM cultum Idololatricum esse.

In Disputatione de precatione Thesi 24. & de noua Religione, Thesi 27. de Sanctorum inuocatione Thesi. 2. & de dissensionibus Ecclesiæ Thesi 53. & aliâs.

SEQVITVR *ordine cultus Sanctorum; in quo proscindendo et tanquam Idololatrico damnando, aduersariorum est procacitas & petulantia mirabilis. Sed nemo illorum hoc in genere est Hellbrando Tübingensi furiosior, nemo ineptior. Ita enim hoc argumentum (sicut & alia omnia) tractat petulanter, ita verbosè, importunè, sine re, sine probatione, sine iudicio, sola asseuerandi impotentia, & conuiciandi atque mentiendi exercitatione (qua valet)*

valet) fretus, vt nō scribere, aut disputare sobriè, quemadmodum intelligentes homines & docti solent; sed tanquam homuncio quispiam infamis, et bene potus, cōceptam iram vnà cum crapula in medio foro exhalare debacchando videatur. Prorsus vt oporteat hominem istum esse vanissimum, qui, dum hæc latinè scribit, nihil veretur hominum, vel mediocriter eruditorum, leuitatis suæ atque inscitiæ subire præiudicia.

DOCVIMVS *euidenter suprà, Idololatriam committi nullo modo posse, si vel alterutrū deesset, quæ, necesse est, in illa cōiungantur. Hoc est, si aut cultus, quem vsurpas, non est Diuinus; aut certè si Diuinus est, eum tamen non impertiris creaturæ, vt Deo tribui solet. Atqui à veneratione, qua Sanctos prosequuntur Catholici, non alterutrum istorum modò, sed planè vtrumq; abest quàm longissimè.* Capite primo.

NAM *primùm, quod ad cultum ipsum Sanctis tributum attinet, ille certè eiusmodi est, vt neque ex natura & conditione*

ſua, neque ex lege aut conſuetudine, neque ex mente, qua Catholici Sanctos colunt (quas tres dignoſcendi cultus Diuini notas ſuprà numerauimus) cenſeri poßit Diuinus. Efficiemus hoc perſpicuum, ſi ſingula, quæ ad Sanctorũ honorem conferri in Eccleſia ſolent, perſpexerimus.

SANCTOS *omnino veneramur, cùm aut ab his, vt apud Dominum nobis ſuffragentur, petimus; aut ipſum etiam Deum oramus, vt illorũ quoq; meritis adductus, nobis, quod optamus, impertiat; aut in illorum memoriam templa extruimus, vel Sacra facimus, vel ſtatis diebus feriamur, quidpiámue illis promittimus; aut illorum ſanctimoniam & excellentiam admiramur, vel prædicamus, vel etiam officiis aliquibus teſtamur, vt genu flexione, vt percußione pectoris, aliiſq; huius generis actionibus externis.*

IAM *quòd, vt pro nobis* DEO *ſupplicent, exoramus eos, tantum abeſt, vt in Diuinam maieſtatem ſolam id munus, quod ab ipſis petimus, conueniat, vt nihil*

ſanè

ſanè magis ab illa diſsideat. Nam vt habere aliquem ſe ſuperiorem, ſic etiam alteri tanquam ſuperiori ſupplicare (quod vt Sancti faciant, volumus) res eſt, quæ à Diuino numine abeſt quàm longiſsimè: Ita genus hoc honoris, quod impendimus Sanctis (dum eorum interceſsionem poſtulamus) cùm Deo nõ cõueniat, Diuinũ eſſe nõ poteſt.

SIMILI *ratione liquet, neque cultum illum eſſe Diuinum, quem Sanctis tribuimus, hoc ipſo, quòd Deum, vt propter illorum etiam merita, nobis opituletur, obſecramus. Ita enim illos inferiores eſſe Deo, ſimiliter profitemur: Quandoquidem merita cõſeruorum noſtrorũ, nonnihil etiam nobis apud cõmunem omnium Dominum valere volumus.*

QVOD *verò in Sanctorum memoriam Catholici templa extruunt, & Sacra faciunt, & feriantur, & ipſis aliquid promittunt (Si, quid nam ex hoc ad Sanctos pertineat, diligenter inſpicimus) nequaquam eſt cultus Diuinus. Namque (vt ſæpe aliàs eſt aduerſariis reſponſum) & templa*

Ita August. de templis docet lib. 8. de ciuit. Dei ca. 27 & de Sacris libr 20. contra Faustũ, cap. 21. ac eadē ratio de feriis est.

ipsa, & Sacra, & ferias ad Deum tantummodò Catholici referunt; ad Sanctos verò non tēpla, non Sacrificia, non ferias; sed in tēplis, Sacrificiis, et feriis peculiarē memoriam et venerationem ipsis congruentem.

IDEM *est de promissionibus seu votis, quæ Sanctis fieri dicuntur, existimandum: Illa nimirum, quatenus ad religionem & diuinum cultum pertinent, non referri ad Sanctos. Sed hoc honoris tantùm ipsis Catholici tribuunt (cùm promittere seu vouere ipsis dicuntur) quod Deo vouent ex illorum amore & reuerentia; tanquam sit illis etiam (vtpote Dei amicis) id obsequiũ Diuini cultus placiturum. Item testes illos esse volunt obligationis, qua sese* DEO *obstringunt. Deniq; illorum quasi auspiciis & intercessione freti, quod Deo promittunt, adimplere statuunt.*

QVODSI *quis fortè promittit quidpiam animo obligandi sese, non Deo immediatè, sed Sancto, vt excellenti creaturæ, cui promissum opus putatur gratum esse futurum; ne tunc quidem is ad honorandũ*

San-

Sanctum, Diuinum cultum vsurpat: Non enim erit tunc ea promissio Diuinæ religionis actus, sicut neque est illa, qua, vt fit sæpe, homo homini sese obstringit: Sed erit potiùs virtutis alterius actio, nempe singularis obseruantiæ.

POSTREMO *inter ea honoris officia, quæ in Sanctos conferimus, numerabamus tum admirationem siue prædicationem illorum excellentiæ & dignitatis, tum etiam eiusdem protestationem per cæremonias externas, vt genuflexionem, percussionem pectoris, &c. Hæc & id genus alia ex natura & conditione sua, atque etiam ex vsu & consuetudine satis constat, ad honorandas quoque creaturas accommodata esse, & vsurpari etiam solere; vt D. Augustinus rectè* Lib. 10. de Ciuitat. Dei cap. 4. *animaduertit. Proinde non possunt hæc officia ad Diuinum cultum pertinere, nisi ex animo procedant, quo velit quis de re, quam per illa veneratur, excitare opinionem soli Deo conuenientem; nam & ex hac etiam parte, docuimus suprà, honorem aliquem* Cap. 1. *effici proprium religionis.*

IAM verò quòd nos nequaquam eo animo ad Sanctos honorandos vsurpemus officia dicta; cùm controuersia hæc de animo
1.Corint.2. *ac voluntate interna sit, & quæ sunt in homine, nemo nouerit meliùs, quàm spiritus hominis, qui in ipso est; probare aliter aduersariis non possumus, quàm syncerè, vt facimus, id testando. Equidem magnam Sanctorum esse dignitatem, & apud Deum gratiam, facilè agnoscimus, ac honorificis erga illos officiis libenter protestamur; pro Diis autem illos nequaquam vel agnoscimus, vel honoramus; hoc est, non volumus ipsis opinionem Diuina maiestate dignam, per cultum conciliare.*

HVIC nostræ confeßioni cùm contentiosi Hæretici fidem adhibere nolunt, primùm faciunt pueriliter atque stultè, cùm pleraque officia ex his, quæ in Sanctos conferimus, sint eiusmodi, vt euidenter appareat, per illa nos protestari, Sanctos creaturas esse, quæ superiorem habeant Deum, apud quem volumus illorum meritis ac precibus adiuuari. Deinde faciunt etiam inciuiliter

ac ſuperbè, quòd velint de noſtro animo magis ac veriùs cognoſcere, quàm nos ipſi. Videlicet, quoniam ipſi mentiuntur ſæpenumero, facilè putant, aliis quoque id artificium eſſe familiare.

SED *ad rem. Cùm hactenus oſtenderimus in veneratione Sanctorum, minimè nos cultum vſurpare Diuinum, ſed duntaxat illum, qui præſtantibus conuenit creaturis; conſectarium eſt, neque illis nos verè tribuere cultum Diuinum. Eum enim cultum ipſis impendimus, quem ad eos honorandos vſurpamus, non alium.*

ATQVE *eſt hoc vel inde etiam perſpicuum, quod ſuprà docuimus, cultum Diuinum, creaturis vt Deo, non tribui, niſi quis velit per earum venerationem ipſis conciliare opinionẽ Diuinitatis propriam. Hoc verò nos (vti paulò antè teſtati ſumus) cùm Sanctos colimus, minimè agimus; tantùm illorum excellentiam, à creatura non alienam ſuſpicimus.* Cap. 1.

VERISSIMVM *igitur illud eſt, quod huius capitis initio aſſumpſimus, in San-*

ctorum veneratione neutrum eorum, quæ in Idololatria necessariò concurrunt, reperiri; hoc est, nec cultum vsurpari diuinum, neq; illum creaturis tribui. Quocirca vano se labore fatigant aduersarij, cùm pium hoc Ecclesiæ institutum velut Idololatriam insectãtur; neq; aliud efficiunt, quàm quòd ignorantiam suam simul & maledicendi studium, egregiè probant.

Lib. 1. instit. c. 12. Sect. 3.

PORRO ex dictis est consequens, actionem illam, qua Sanctis honorem damus, proximè non pertinere ad virtutem religionis, (sicut falsò Caluinus assumpsit) sed ad aliam longè diuersam, quæ species quædam obseruantiæ erga rationales creaturas sit. Quanquam non est negandum, quin ipsa virtute religionis erga Deum, vt ad virtutum aliarum officia, sic etiam ad exhibendum Sanctis per obseruantiã dictam honorem, induci possimus.

Doctrina est hæc D. Aug. (quod ad rẽ ipsam attinet) li. 10 de Ciuitat. Dei c. 1. & explicatur à D. Tho. 22. q. 103. Artic. 3. & 4.

ILLVD tantùm iam dicimus, proximè, per singularem obseruantiæ virtutem, non per religionem exhiberi Sanctis debitum honorem. Ratio est aperta: Nam actus prius

prius virtutis religionis Diuinam gloriam spectat proximè; hoc est, existimationem conciliat Diuinæ maiestati conuenientem, & idcirco ad Deum tantummodò proximè pertinet: Actio verò, qua veneramur Sanctos, proximè seu immediatè pro scopo habet, non gloriam Diuinam, sed eam, vt est dictum, existimationem, quæ in creaturam excellentem quadrat; quamq; proinde illi, non religio proximè, sed peculiaris obseruantia conciliat.

HOC *discrimen inter vtrumque cultum, Dei, scilicet, & Sanctorum, quod profectò longè maximum est, & admodum reale, indicare volunt orthodoxi Doctores, cùm distinctionis gratia, cultum Dei, Latriam; Sanctorum verò, Duliam nominant. Qua sanè ratione illi, non differentiam verbalem tantùm assignant, vti Caluinus & alij mominugãtur scurriliter; sed diuerso loquendi modo differentiã realem, vt dictum est, inter vtramq; colendi rationem significãt tantã, quantam exposuimus iam sanè esse maximam inter duas illas virtu-*

Ita D.Aug. distinguit li. 10. de Ciuit. Dei ca. 1. Lib. 1. instit. c. 12. Sectione 2. et Heerbrandus in Disputatione de precatione Thes. 30. & deinceps.

virtutes dictas, religionem nempè erga Deum, & peculiarem erga creaturas præstantes obseruantiam.

IPSI *potiùs aduersarij in verbis hærent pueriliter, sine re, sine iudicio: Cùm ex eo, quòd Dulia commune vocabulum quoq; sit, ad significandum quemcunque cultum & seruitutem, adeóque etiam illam, quæ Deo debita est; colligi*[a] *illico volunt, cultum Sanctorum, quoniam nos illum Duliam appellamus, Diuinum esse, seruitutemq; habere Deo debitam. Quasi verò nequeant interdum vno & eodem communi vocabulo res diuersissimæ significari.*

[a] Ita ludere videt Heerbrandus in disputatiõe de precatione vbi suprà: præsertim Thes. 44. & de inuocati. Sanct. Thesi. 21. & 22. & Caluinus quoq; loco citato.

HONOR *certè pari ratione vocabulum commune etiam est, quod proinde significat interdum cultum Diuinum: Patet ex illo: Soli Deo honor & gloria. Nunquid propterea concludent aduersarij, filium, cùm quartum implet Decalogi præceptum, & debitum suo parenti tribuit honorem, Diuinum ipsi cultum exhibere, adeoq; Idololatram esse? Quid? Nonnè Seruitus, Latinè, perinde ac Dulia Græcè, vocabulum com-*

1. ad Tim. 1.

commune est ad significandam etiam seruitutem Deo debitam? Est planè. Nam & alicubi rectè dicitur: Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli seruies. Quid ergo? Colligéntne propterea bene aduersarij, non posse famulum hero seruire suo; quin seruitutem illi seruiat Diuinam, adeóque committat Idololatriam? Deuter.6.

QVOD si Latinis hisce vocabulis intelligunt significari posse honorem & seruitutem, tum Diuinam, tum etiam illam re ipsa longè diuersam, quæ sine Idololatria poßit impendi creaturis: Cur sunt tā craßi, vt non etiam idem capiant de Græco illo vocabulo Dulia; dato quòd ipsum quoque vim habeat ad significādum honorem, seruitutemque Deo debitam? Ineptiæ sunt istæ plusquàm pueriles. Et tamen hic locus est, in quo vel maximè hi miseri homines, cæci, vaniloqui, in tenebris palpātes, exultant, nugantur, & ludunt planè stolidè.

EST illa etiam Caluini insignis vel hallucinatio vel fraus, quòd, vt ne per differentiam realem cultus Dei & Sanctorum, Li.1. ca.12. Vbi suprà.

expedire

expedire se ab Idololatriæ crimine Catholici videantur, somniat, aliquid de honore diuino detrahi & transferri ad Sanctos, quamuis ipsis honor tribuatur, qui re ipsa non sit in se Diuinus: Hoc ipso, inquit, quòd per religionem illis eiusmodi honor, quicunque tandem sit, exhibetur.

Apocal. 19. ATQVE *hanc fuisse causam dicit, cur Angelus prohibuerit Ioannem, ne se veneraretur: Tametsi Ioānes (inquit Caluinus) non fuerit tam amens, vt voluerit Angelo tribuere honorem Deo debitum. Ideo etiam* Matth. 4. *ait, tentantem Diabolum à Christo Domino fuisse repulsum; tametsi ille non petiuerit honorem Latriæ. Denique in eandem* Actor. 10. *causam refert, quòd D. Petrus repudiauit honorem oblatum à Cornelio; tametsi hic, inquit, non voluerit illū venerari, vt Deū.*

Thc. §4. 85. HANC *Caluini commentationem falso principio niti, ex his, quæ paulò superiùs dicta sunt, apparet: Exposuimus enim, quēadmodum honor Sanctis nō per virtutem religionis proximè, vt hic Caluinus autumat, sed per aliam lōgè diuersam exhibeatur.*

tur. Quanquam si maximè vna eademq́ religionis virtute alium Deo, alium Sanctis honorem tribueremus; non equidem satis intelligo, quidnam idcirco de Diuino honore detraheretur, vti fingit Caluinus. Vt enim absque vlla Diuinæ maiestatis iniuria, eâdem virtute charitatis, & Deum diligimus, & suo etiam gradu proximum; sic potuisset vna & eadem virtus, citra vllam Diuini numinis iniuriam, suum Deo honorem integrum reddere, et suum etiam Sanctis, aliisue rationalibus creaturis.

NVNC *verò cùm ne ita quidem res sese habeat, sed alia, vt diximus, virtus sit religio, quæ Deo cultum affert, alia singularis obseruātia, quæ Sanctos honorat; omnino vanum est, quod Caluinus imaginatur, aliquid detrahi de Diuino honore & transferri ad Sanctos, etiamsi honore illi afficiantur reipsa minimè Diuino. Aequè vanum & inauditum est prorsus, quod idem ait, propterea Ioannem ab Angelo, ne se adoraret, esse prohibitum, quia vellet illi honorem alium, quàm Diuinum exhibere.*

Quæst. 61. super Gene. *ALITER sanè Augustinus explanans hunc locum: Nec moueat inquit, quòd in quadam Scriptura prohibet Angelus, hominem adorare se, & admonet, vt Dominus potiùs adoretur: Talis enim apparuerat Angelus, vt pro Deo posset adorari; & ideo fuerat corrigendus adorator. Hæc D. Augustinus: Qui profectò causam reddit satis probabilem, cur (quicquid Caluinus ludat) potuerit Ioannes, citra vllam amentiam, honorem Angelo exhibere velle Diuinum.*

AC similem quoque honorem voluisse Cornelium Petro tribuere, illa eiusdem Petri verba, id, ne faceret, inhibentis, satis ostendũt: Surge, & ego ipse homo sum, &c.
Actor. 10. *Similiter cùm Christus Dominus tentatori opponit sentẽtiam illam: Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli seruies; satis apparet, illum, (quocunque tandem honoris nomine vsus fuerit, cùm à Christo, vt adoraret se, petiit) honorem affectâsse Diuinum. Inanis igitur Caluini Phantasia est, committi posse Idololatriam, ac de honore*

Dei

Dei detrahi, etiamsi Sanctis Diuinus cultus non tribuatur.

SED *nunc relicto Caluino, argumentum Heerbrandi, magnum scilicet, audiamus, quo is necessariò concludi putat, nos pro Diis habere Sanctos et colere; ac proinde, velimus nolimus, esse Idololatras. Verba illius sunt hæc: Is qui dicit; Dominum* DEVM *tuum adorabis, & illi soli seruies, etiam dicit: Inuoca me in die tribulationis. Quomodo autem inuocabunt, in quem non crediderunt? Vnde necessariò (inquit) consequitur, Papistas non in solum vnum* DEVM, *sed etiam in Sanctos, quos inuocant, credere: Et sic re vera innumeram eos sibi fabricari Deorum, Dearumq; turbam: Et hac ratione (inquit) non vno tantùm modo, sed dupliciter Idololatræ fient Papistæ secundùm Apostolum Paulum: vno modo, quòd inuocant Diuos; altero, quòd etiam pronuntiat, eos credere in illos, quos inuocant.*

De Inuocatione Sanctorũ Thesi 18. & 19.

Deutero. 6. Psalm. 49. Roman. 10.

FIERINE *potest, vt homo, qui sic ratiocinatur, homo sit? Dolendũ est profectò,*

D *quòd*

quòd his similibusq́; nugis Tenebriones isti seducant corda innocentium. Quis non videt, manifestam esse in argumento fallaciã propter acceptionẽ diuersam verbi, INVOCARE? DEVS *inuocari se iubet, vt summum Dominum, & creatorem rerum omnium, cuius sit virtute propria, ab omni tribulatione & ærumna liberare. Apostolus quoque, cùm negat posse inuocari eum, in quem non creditur, de eodem inuocationis genere agit prorsus: Nam cùm illam recitâsset ex Iohele sententiam: Omnis, qui inuocat nomen Domini, saluus erit; continuò subiecit: Quomodo ergo inuocabunt, in quem non crediderunt?*

Iohelis 2.

IAM *verò, cùm nos ea ratione Sanctos minimè inuocemus; sed tantùm ab iis petamus, vt pro nobis apud Deum, suum & nostrum Dominum, intercedant; non modò non necessariò, (vt desipit Heerbrandus) sed ne apparenter quidẽ sequitur, tribuere nos Sanctis, quod est Dei proprium, crederéue in illos, cùm ipsos inuocamus. Quinpotiùs sequitur omnino contrarium; quando-*

quandoquidē (vt suprà explicuimus) eiusmodi inuocatione inprimis protestamur, illos superiorem habere Deum, apud quem, suis precibus vt nobis suffragētur, oramus.

FACIO fortassis imprudenter, quòd puerili admodum argumento respondeo; sed cùm Heerbrandus non solùm puer sensibus ad argumentandum sit, sed malitia etiam atque arte ad decipiendum grandis, non putaui prorsus esse silendum; maximè quòd mirificè sibi eo argumento videtur homo rudis complacuisse. Noui verò, quàm ille hîc habebit in promptu calumniā. Dicet, nos, cùm inuocamus Sanctos, non (sicut dicimus) preces eorum tantùm, ac intercessionem petere; sed ab ipsis tanquàm à Diis planè Ethnicorum more, sperare subsidium; quasi habeant illi inter se (nostra sententia) procurationem aut prouidentiam variarum rerum distributam.

Ita fingit in Disputati. de noua religion. Thesi 27. & de inuocatione Sanctorum, Thesi 44. & alibi.

RESPONSVM verò nostrum, vt breuissimum, sic etiam verissimum est, Heerbrandum, cùm ita de Catholicorum animo pronuntiat, mentiri splendidè. Habent

bent quidem singularē in eo Catholici deuotionem (euentu sæpe atq; vtilitate Diuinitus probatam) vt pro diuersis beneficiis à Deo impetrandis, diuersorum intercessionem Sanctorum implorent: Tametsi neq; ignorāt, posse etiam illorum quemuis, quiduis à Domino, modò fieri id expediat, obtinere: Quòd verò à Sāctis ipsis veluti à Diis sperent illi, quæ desiderant beneficia, fabula est Heerbrandi, & similium nugatorum.

AT interdum precatiunculæ reperiuntur, quibus ita Sanctos exorant Catholici, vt ab his hoc aut illud sibi concedi absolutè petant. Dicat Heerbrandus, eiusq; socij, qui tāta diligentia hinc inde similes precādi formulas in obsoletis et corrosis voluminibus venantur, cur illis magis, quàm aliis mouētur quæ sunt planiores et frequētiores apud Catholicos, & eum reddūt sensum, vt omnis omnino peruersi Sanctorum cultus suspicionem remoueant? Cur non etiam attendunt ad illam inuocandi Deum & Sanctos rationem disparem, quæ est in litaniis, Pater de cœlis Deus; Fili Redēptor

mundi

mundi Deus; Spiritus sancte Deus; Sancta Trinitas, vnus Deus, Miserere nobis: Sancta Maria, &c. Ora pro nobis?

SANE *si quid candoris & probitatis in aduersariis reliquum esset, ex hac communi & probata Ecclesiæ ad inuocandos Sanctos forma, alias, si quæ fortasse reperiuntur obscuriores, bene fuissent interpretati; intellexissentq́, cùm Sancto dicitur:* Fac; *aut:* Concede; *sensum esse: Effice precibus & intercessione apud Deum tua. Sed quodnã sit istorum studium, constat. Videlicet aliud agunt nihil, quàm vt quoquo modo & quacunq́ demum conscientia poßint inter suos aliquid aduersùs Catholicos commentari.*

QVO *in genere notabilis etiam illa est Heerbrandi scurrilitas; quòd nugatur, Catholicos alia aliis Sanctis animalia velut Diis Ethnicorum more sacrificare. Ita enim vir bonus & simul egregiè mendax interpretatur simplices ac pios fidelium animos, cùm interdum illi ob Sanctorum reuerentiam, beneficiorumq́ ab ipsis per intercessionem acceptorum memoriam, sunt in Ec-* In Disputatione de precatione. Thesi. 56.

clesiarum ministros eiusmodi rerum oblationibus munifici. Cæterùm de Heerbrandi quidem ineptiis hoc in genere hactenus: Nam quæ ad Sanctorum venerationem ab Idololatria vendicandam attinebant, ea ferè videmur iam attigisse.

CAPVT V.

SACRARVM VENERATIONEM IMAGINVM ET RELIQVIARVM AB IDOLOLATRIA longissimè abesse.

RELIQVVM *est, vt illam quoque aduersariorum calumniā depellamus, qua sanctarum imaginum & reliquiarum venerationem Idololatricam faciunt.* In 7. Synodo generali, id est Nicena 2. *Quanquam est sanè iam pridem in Ecclesia sic explicatus hic locus, vt mirum sit, sui non pudere istos, cùm aduersùs Catholicos hac in causa repetunt veterum Hæreticorum, non dico argumenta, sed, vt septima* Canone 9. *Synodus ait, ludibria planè puerilia, quæ sunt*

sunt iam olim luculẽter refutata. Sed quoniam illi pergunt esse inepti, & quæ in scripturis aduersùs gentium idola extant testimonia, ea contra imaginum in Ecclesia vsum perinde iactant hodie miseri confidenter, ac si nihil vnquam à Catholicis esset responsum; pertinet etiam ad institutum nostrum breuiter ostendere, nullam esse hoc in genere Idololatriã. Ac distinctionis gratia dicemus primò de Imaginibus, deinde de Reliquiis.

IGITVR *quod attinet ad imagines, quoniam hoc loco vel maximè cupio esse perspicuus, placet vti hac ratione: Idololatria tunc admittitur, cùm & Diuinus cultus vsurpatur, & exhibetur creaturæ eo modo, quo debuit exhiberi Deo: Sed cùm imagines Catholici venerantur, nunquam coniungũt hæc duo; sic videlicet, vt & cultum Diuinum vsurpent, & illum, qua ratione Deo exhiberi debet, tribuant creaturæ, hoc est, ipsis imaginibus secundùm se: nunquam igitur illi eiusmodi veneratione admittunt Idololatriam.*

HVIVS rationis conclusio cùm sit plana, & prior quoque propositio in primo capite declarata, & sæpius etiam in aliis repetita; illud est nunc solum explicandum & confirmandum, quod in propositione altera sumpsimus: Videlicet in veneratione imaginum nunquam Catholicos illa duo coniungere, vt & Diuinum vsurpent cultum, & illum tribuant creaturæ, sicut Deo.

EST autem hoc in veneratione imaginum Sanctorum, clarissimum. Nam, vt ad Sanctos ipsos venerandos Catholici non vsurpant cultum Diuinum; sic neq; ad eorum imagines honorandas. Has enim (vt statim patebit magis) venerantur illi relatiuè, eodem cultus genere quo ipsos, quorum sunt imagines.

IN veneratione porrò Christi imaginũ adeóque etiam crucis; tametsi idem cultus, quo honoratur Christus ipse, hoc est Diuinus, vsurpetur; At non illum tamen eius imaginibus eadem ratione tribuere dicimur, qua est ipsi Christo Deo ac Domino nostro tribuendus. Quo fit, vt hîc etiam desit

alte-

alterum è duobus illis, quæ, vt assumpsimus, sunt ad Idololatriam omnino necessaria.

INTELLIGERE *namq́ hoc loco inprimis oportet, generatim loquendo, rationem, qua honorare dicimur imagines, longè diuersissimam esse ab ea ratione, qua honoramus res alias; hoc est, Deum, Sanctos, alios homines: Hos enim, vt absolutè, secundùm se ipsos, sine relatione ad aliud, cōtemplamur; sic etiam honorare dicimur, quatenus per honoris officium de ipsis volumus (iuxta dicta in primo capite) excitare opinionem eam, quæ in cuiusq́ excellentiam conueniat: Imagines verò, quemadmodum ad aliud quidpiam cogitatione referimus; sic eatenus honorare dicimur, quatenus coram illis actionem aliquam exercemus honorificam, per quam excitare volumus opinionem excellentem, non de ipsis quidem, sed de iis tantùm, ad quæ ipsa referuntur, quorumq́ loco & vice sunt quodammodo.*

ITAQVE, *quod verissimè dici solet, eodem officij atque honoris genere, eodemq́ animi motu, (hoc est, eadem voluntate*

excitandi opinionem excellentem) honorari rem ipsam eiusq; imaginem; hoc sic accipiendum est, vt intelligamus nihilominus, per illud idem honoris officium, per illum ipsum animi motum, diuersissima ratione & consideratione, vt est dictum, honorare nos rem ipsam & imaginem eius.

SIC *prorsus, vt cùm dicimur per officiũ aliquod & animi motum, exhibere honorẽ prototypo, illud huic orationi subsit; simpliciter velle nos ipsius prototypi præstantiam profiteri, adeoq; per id officium excitare de illo opinionem excellentem: Cùm verò per idem officium & motum animi dicimur honorem quoq; exhibere imagini, verbo illi, exhibere, hoc subsit; nos prototypum ex imagine cogitantes, coram ipsaq; actionem honorificam, perinde ac si prototypum similiter esset præsens, exercentes, velle prototypi duntaxat excellentiam protestari, adeoq; de ipso excitare opinionem excellentem, non de ipsa imagine.*

ETENIM, *siue de imagine consideres, quòd ex auro, aut ligno, aliáue materia constet;*

stet; siue quod sit figura atque coloribus distincta; siue quiduis aliud, quod in imaginem verè conueniat, semper reperies, illam, vt istarum considerationum omnium obiectum est, rem esse eiusmodi, in quam minimè competat excellentia ac dignitas, quam veneratione p̃testaris. Quapropter venerationis motũ, qui est ad prototypũ, ad imaginem quoq; pertinere, vt diximus, est; sic prototypum coram illius imagine, velut ipsius secũdùm repræsentationem vicaria, honorari, ac si illud perinde præsens adesset.

HOC *est planè, quod Orthodoxi Doctores volunt, cùm dicunt, imagines non, nisi relatiuè honorari; &, honorem, qui datur ipsis, ad prototypum referri; &, non ipsas secundùm se, sed per ipsas, ac in ipsis, honorè affici rem repræsentatam. Ac perspicuè hoc ipsum declarant septimæ Synodi Patres, cũ* Actione 3. *ita inquiunt: Imagines colimus, non in materia, aut in coloribus honorem constituentes, sed per hoc, officium nostrum, quod ipsis, quorũ typum imagines gestant, debemus, impertientes. Cùm sciamus, secũdùm*

Basilij Magni sententiam, quod imagini honor exhibitus, ad ipsum prototypũ referatur. Actione 4. c. 5. *Atq; hoc ipsum postea aliquoties illi repetunt, & sanctorum Patrum etiam authoritate confirmant.*

Sessione 25. SED *& Concilij Tridentini Patres ea ratione prorsus, qua nos diximus, exponũt honorem imaginibus exhiberi. Nam postquàm statuunt, venerationem illis esse impertiendam, subiiciunt: Non quòd credatur inesse aliqua in iis Diuinitas vel virtus, &c. sed quoniam honor, qui eis exhibetur, refertur ad prototypa; ita, vt per imagines (inquiunt) quas osculamur, & coram quibus caput aperimus, & procumbimus, Christum adoremus, & Sanctos, quarum illa similitudinem gerunt, veneremur.*

DICET *fortè aliquis: Si venerari imaginem est, prototypum ipsum venerari; honor igitur nequaquam imagini exhibetur, nec verè dicitur ipsa honorari; sed prototypum tantummodò coram illa. Respondemus, inde solùm cõsequi, quod antea docuimus, videlicet non eadem ratione dici nos hono-*

honorare imaginem, qua ipsum prototypum, in quo vno animum figimus, cuius duntaxat præstantiam ac dignitatem veneratione protestamur: At honoratur verè imago nihilominus modo suo, eo videlicet, quo honorari censentur eæ res, quæ non nisi propter aliud honorantur.

Vide infrà in Apologetico c 7. vbi Durãdus reprehẽditur & alij, q hoc negant.

ADIVNGAMVS *exempla. Qui regis legatum loco regis honorant; etsi honorem omnem referant ad ipsum regem; at verissimè tamen dicuntur censenturq́ legatum honore regio afficere: Solùm propterea, quòd non secus honore rex coram legato est habitus, ac si ipse præsens, quemadmodum legatus, adfuisset. Pari ratione, qui principis literas hoc ipso, quòd principis sunt, honoris causa osculantur, honorare illas dicuntur; tametsi hoc totum, quidquid est ceremoniæ ad principẽ ipsum pertineat. Sic etiam cùm librum sacrum reuerenter tractamus, non ad ipsum codicem sed ad cælestem doctrinam in eo expressam attendimus: Et tamen reuereri librum dicimur.*

EADEM *igitur ratione prorsus, quoniã imagines nos ad aliud similiter referimus; idcirco etsi non eas ita honoremus, vt prototypa, ad quæ illæ pertinent, sic videlicet, vt in ipsis sistamus, earumq́; præstantiam protestemur; at honorare illas tamen verè censemur alia ratione, dum videlicet prototypum coram ipsis, non secus, ac si præsens adesset, veneramur.*

EX *quo intelligitur, quid causæ sit, cur Patres aliqui, quando sacrarum imaginum vsum aduersus eos hæreticos defendũt, qui iam olim, vt Idololatricum, illũ impiè reiecerũt, modò affirment, modò negent, imagines honorari; idq́; interdũ in eodem sermone. Negãt videlicet honorari illas ea ratione, qua prototypum; diuersa, concedunt.*

Libro 5. Apologiæ pro Christianis contra Iudæos, vt refertur in 7. Synodo, actione 4.

SICVT *tu (inquit Leontius Episcopus Neapoleos Cypri, aduersus Iudæos imaginum causam agens) adoras librum legis, nõ naturam membranarum, aut atramenti adorans, sed verba Dei, quæ in illo continentur: Sic & ego imaginem Christi adorans, non lignorum aut colorum naturam adoro,*

adoro, absit: sed inanimatum characterem Christi: hunc enim cùm habeam, per ipsum, Christum tenere & adorare mihi videor. Sensus est: Non adoro quidem imaginem secundùm seipsam, q̃ aliud est, quàm colores & lignum, &c. sic vt figam animũ in ipsa: Sed adoro tamen imaginem seu inanimatum characterem Christi, alia ratione; hoc ipso videlicet, quòd adoro ipsum Christum, quem per imaginem repræsentatũ tenere & adorare coràm præsentem mihi videor.

HVC *etiam illud eiusdẽ Leontij elegans exemplum spectat: Quemadmodum Iacob,* Vbi suprà. *inquit, accipiens à filiis suis vestem, sanguine conspersam Ioseph, cùm lachrymis eam osculatus est (ita enim Leontius probabiliter suspicatur) suisq́; oculis circumposuit, nõ ipsam vestem diligendo aut honorando hoc fecit, sed per eam arbitratus est se Ioseph osculari & habere in manibus: Sic & Christiani omnes imaginem Christi, aut Apostoli, aut Martyris in manibus tenẽtes, nostraq́; carne osculantes, animo videmur nobis ipsum Christũ, aut Martyrem amplecti.*

SIC

Sicut videre est actione 6. eiusdem Concilij, Tomo 4.

SIC quoq; accipiendum est, quod Epiphanius pro septima Synodo in hũc modum inquit: Cognouimus, Deum esse spiritum, et qui adorant eum, in spiritu & veritate id facere debere, & quæ secundùm fidem est, adorationem & cultum, illi soli (vtpote omnium Deo in Trinitate laudato) offerendum. Non enim Christiani adorationem in spiritu & veritate imaginibus exhibuerunt, neq; etiam Diuinæ crucis effigiei, &c. Nam cùm Diuinam crucis effigiem & venerãdas imagines amore & desiderio complectimur, ad ipsum prototypum respicimus.

QVO sanè loco Epiphanius non negat in veneratione imaginum Christi Diuinũ vsurpari cultum. (Negaret enim tũc, quod paßim in eadem synodo inculcatur, eundem illum honorem, qui imaginibus Christi datur, ad Christum ipsum referri; quem proinde honorẽ constat esse Diuinũ) sed tantùm negat, dari illũ ea ratione imaginibus, qua datur Christo, scilicet, vt per illum ipsius imaginis dignitatem protestemur.

AC eundem omnino habet ſenſum, quod Taraſius Patriarcha Conſtantinopolitanus, ex ſua & aliorum patrum ſententia, Legatis Pont. Adriani, huius nominis primi, ita reſpondit: Nos patrum præceptis imbuti, ſic confeſsi ſumus et confitemur, cōcordamus, et vim literarū lectarū (Adriani Papæ pro imaginibus) confirmamus, & imaginum picturas ſecundùm priſcam patrum traditionē recipimus, & has deſiderio noſtro adoramus: Sed apertis (inquit) verbis teſtamur, nos duntaxat in vnū Deū verum, Latriam, hoc eſt, cultum & fidem noſtram referre & reponere.

DECLARAT *ille nimirum his poſtremis verbis, quomodo Latria, etſi in Chriſti imaginum veneratione vſurpetur (neq; enim hoc negare intendit) at nunquā in imaginibus ipſis defigatur, ſed ad ipſum pertineat Chriſtum, verum Deum.*

AD Propoſitum igitur vt redeamus: Cùm ex his conſtet ſatis, alia ratione (vti ſæpe diximus) honorem imaginibus dari, et alia prototypo, & rebus aliis, quæ abſolutè

et secundùm se honorantur; (è quorùm numero inprimis est Deus,) perspicuum est id, quod sumpsimus explicandum, videlicet, cultum, qui in Christi imaginum veneratione vsurpatur, nō sic illis impendi, vt Deo; ac proinde honorandis eiuscemodi imaginibus, nullo modo admitti Idololatriam; ac multò etiam minùs venerandis aliorum imaginibus Sanctorum; siquidem in harū veneratione nec cultus quidem, qui vsurpatur, est Diuinus.

QVIBVS *ita explicatis, facilè quoque intelligetur, in S. reliquiarum veneratione (quod proposuimus præterea explicandum) omnino nihil esse Idololatriæ. Nam dupliciter illas honorare dici possumus; primò, quia reuerenter ipsas per se tractamus, & custodimus, & suspicimus, &c. eò quòd sanctorum hominum, qui viua membra Christi, et Spiritus sancti templum fuerunt, aut corpora sunt, aut corpora certè attigerunt, aut etiam extiterunt partes. Secundò veneramur illas etiam relatiuè, eodem cultus genere, quo illos, quorū sunt reliquiæ; cùm*

videlicet

videlicet ad earum præsentiã, in illos animum intendimus, adeoq́; cultum omnem coram reliquiis vsurpatum, ad ipsos referimus.

IN *priori reliquias honorandi modo, cùm nihil omnino Diuinum sit, satis cõstat, Idololatriam esse non posse. Posteriori verò modo, cùm reliquiæ relatiuè etiã, vt imagines (quamuis fundamentum relationis non idem penitus sit vtrobiq;) colantur, nõ magis potest admitti Idololatria, quàm venerandis imaginibus. Primùm enim, vt honor, quo Sanctorum imagines veneramur, Diuinus non est, sed ille idem, quo Sanctos ipsos; sic etiam neque is, quo relatiuè etiam veneramur eorundem reliquias.*

PRÆTEREA, *etsi ad honorandum relatiuè lignum crucis, cui Christus affixus est, & si quid aliud est reliquum, quod peculiari ratione ad Christum pertinuit, Latriam vsurpemus; illam tamen non ad ipsum lignum similésue Christi reliquias secundùm se, sed ad Christum ipsum, verum*

Deum referimus; quemadmodũ etiã illam, quam in veneratione eiusdem Christi imaginũ assumimus. Quare iisdem prorsus rationibus, quibus suprà ostendimus, in Sanctorũ, aut etiam Christi imaginum cultu, nullam esse Idololatriam, efficitur etiam neque eam esse in veneratione reliquiarum Sanctorum vel etiam Christi, relatiua.

HIS ita de cultu reliquiarum & imaginum pro instituto nostro constitutis, superest, vt breuiter nunc videamus, quid habent aduersarij, quod, vt nos in hac etiam parte Idololatras faciant, opponãt. Aërem nimirum verberant inanissimè sententiis
Exod. 20. *illis: Non facies tibi sculptile, neq; omnem similitudinem, quæ est in cælo, & quæ in terra deorsum, & eorum, quæ sunt in aquis sub terra, non adorabis ea, neque coles. Ac*
Leui. 26. *iterum: Non facies tibi idolum, &c. Et:*
Roman. 1. *Mutauerunt gloriam incorruptibilis Dei in similitudinẽ imaginis corruptibilis hominis, & coluerunt, & seruierunt magis creaturæ, quàm creatori.*

RE-

RESPONSVM verò à Catholicis ſæpe eſt (quod hactenus ab hæreticis nullis refutari potuit) his & ſimilibus ſcripturæ locis, earum duntaxat imaginum cultum prohiberi ac reiici, quæ aut per ſe ipſæ Diuinis afficiantur honoribus, aut per quas creaturæ aliæ, tanquam Dij, colantur. Quare cùm demonſtrauerimus, Catholicos iſtorum neutrum venerãdis imaginibus committere, non ad illos eiuſmodi ſcripturarum loca pertinent, ſed ad Idololatras gentiles, quos ſuprà in ſecundo huius Diſputationis capite commemorauimus, vtroque modo impiè fuiſſe ſimulachris abuſos.

ET ad eoſdem etiam ſpectat planè, quod D. Auguſtinus diſputat, æquè impios & Idololatras fuiſſe eos, qui Diuinum cultum imaginibus ipſis ſecundùm ſe, aut ob inhabitantem dæmonem tribuebant, & qui eum per ſimulachra referebant ad creaturas, quas falsò Deos eſſe arbitrabantur. Itaque mirum eſt, tam perfrictæ frontis fuiſſe Caluinum,[a] &, qui ab hoc non pauca Super Pſalmum 113. Concio. 2.

a Li. 1. inſtit. c. 11. Sectione 9.

b In Disputatione de precatione, Thesi 75.

mutuari videtur, Heerbrandum, [b] *quòd non sunt veriti hunc Augustini locum nobis opponere, quasi nos, cùm imaginum cultum ad prototypum referimus, omnino faciamus idē, quod illi Idololatræ, aduersùs quos hîc agit Augustinus.*

DISCRIMEN *inter nos & illos est longè maximū. Primò quoniam non alium illi cultum in adoratione vllarum imaginum vsurpabant, nisi Diuinum: Nos, cùm imagines veneramur Sanctorum, cultu vtimur non Diuino, sed eo, qui competit præstantibus creaturis: Eóque tum longiùs ab Idololatria distamus. Deinde illi cultum Diuinum, quem vsurpabant, tametsi non referrent ad ipsam imaginem secundùm se; at referebant tamen ad aliam creaturam per imaginem repræsentatam, videlicet, ad terram, vel ad mare, vel ad ignem, vel ad aërem, &c. Sicut illic apertè narrat Augustinus (quod isti boni viri malitiosè more suo, ac fraudulenter tacuerunt) Nos verò cùm in veneratione aliquarum imaginum, nempe Christi, Diuino*

vtimur

vtimur cultu, non ad creaturam aliquam, sed ad Christum Deum ac Dominum nostrum eiusmodi cultum referimus. Ita, nihil omnino ad nos pertinet ille locus Augustini.

SEQVITVR *altera Caluini fraus non minor. Is quoniam magno inprimis desiderio tenebatur conuincendi, nos esse in imaginum cultu, gentilium similes, commentitium & inauditum antea Idololatriæ genus fingit olim in vsu fuisse: illud est quòd fuerint homines per visibile signum, venerati Deum ipsum verum. Itaque etsi nos affirmemus, cultum Christi imaginum ad ipsum* DEVM, *hoc est, Christum referri, nihilominus vult nos Idololatras haberi.* Lib. 1. c. 11.

SIVE *Deum inquit, siue creaturam tibi in simulachro repræsentes, vbi veneratione aliqua prosterneris, superstitione aliqua fascinatus es. Et paulò pòst: Neque interest ait, idolúmne simpliciter homines colant, an Deum in idolo; hæc semper Idololatria est, cùm idolo qualicunque* Sectione 9. illius capitis.

colore exhibentur Diuini honores. Deniq; Catholicorum excusationem reiiciens, sic dicit: Nõ vocamus inquiunt, idola nostros, Deos: Neque Iudæi aut gentiles olim vocabant; & tamen Prophetæ passim illis fornicationem cum ligno, aut lapide exprobrari non desinebant. Tantum propter ea, quæ quotidie ab his fiunt, qui Christiani haberi volunt, nempe quòd Deum in ligno, aut lapide carnaliter venerabantur.

HOC loco tam multa peccat Caluinus, (credo ex malitia magis, quàm ex ignorantia) tam lubricus est, ac malè cohæret, vt verba ipsa illius recitanda fuerint, ne cui fortassis affingere ipsi videremur absurda, quæ non dixit. Age verò illius sententiam excutiamus. Primùm, Idololatriam veram, neque fuisse vnquam, nec esse posse, nisi cùm Diuinus cultus Deo subtrahitur, & in creaturam sic confertur, vt debet conferri Deo, satis est à nobis suprà declaratũ. Ita, quod Caluinus ait, Idololatriam etiam esse, conferre Diuinum cultum, non imagini secundùm se, sed ipsi Deo, per imaginem

ginem repræsentato, vanum est, & perinde absurdũ, ac si quis diceret, esse iniustitiam, reddere alicui quod est suum: Nam, vt hoc potiùs iustitia est; sic reddere Deo Diuinũ cultum, est vera religio, quæ abest semper ab Idololatria longissimè.

DEINDE, *si eo ipso Idololatræ sumus, quòd Deo per creaturam repræsentato, cultum tribuimus, nemo vnquam Deum adorare potuit, vel poterit sine scelere Idololatriæ. Oportet enim illum per notitiam, quam intellectus de ipso format, repræsentari atque obiici, vt ipsum quis animo veneretur. Quæ notitia, similitudo quædam creata, & quasi effigies Dei cogitati est. Quod si absque Idololatria possumus venerari Deum, per hanc intellectus imaginem repræsentatum, cur non etiam per alias?*

IAM *quod Caluinus præterea ait, neque gentiles, neque Iudæos olim vocauisse Idola suos Deos, sed propterea tantùm fuisse reprehensos, quòd Deũ in imagine vene-*

rarentur, mendacium est, quod nullo negotio, tum ex scriptura, tum ex veterum sententia Patrum refelli potest. Scriptu-
Sapient. 13. & 14. Psal. 113. Esai. 41. & 44. Oseæ 8. 1. Cor. 8. 12. Aba. 2. & aliâs passim. *râ quidem, cùm tam crebrò, tam accuratè describit simulachrorum imbecillitatem, indignitatemq́, eorum inprimis stultitiam deridet atque coarguit, qui Diuinitatis aliquid ipsis tribuebant.*

ET palàm acclamârunt vitulo Israëlitæ: Isti sunt Dij tui Israël, qui te eduxerunt
Exod. 32. Lib. 1. c. 11. Sectione 9. *de terra Aegypti. Prorsus vt magna sit Caluini vel temeritas vel stultitia, quòd ex his verbis colligit, illos tum etiam verum adorauisse Deum, qui eos eduxerit de terra Aegypti: Solumq́, ob id fuisse Idololatras, quòd ipsum voluerint per signum visibile venerari.*

PHANTASIA *est hæc recens Caluini, veteribus inaudita omnino, qui magno consensu tradunt, Israëlitas tunc à religione vera, ad superstitionem defecisse Aegyptiorum, quos constat habuisse pro*
Actor. 7. *Diis ipsa simulachra. Et Stephanus, eam*

Histo-

Historiam repetens, hoc ipsum est planè testatus: Cui (Moysi) noluerunt inquit, obedire patres nostri, sed repulerunt, & auersi sunt cordibus suis in Aegyptum, dicentes ad Aaron: Fac nobis Deos, qui praecedant nos.

ATQVE *huc illud pertinet, quod indignabundus Dominus (eò quòd regem illi sibi perfidè postulassent) ad Samuelem inquit: Audi vocem populi huius; non enim te abiecerunt, sed me, ne regnem super eos: iuxta omnia opera sua, quae fecerunt à die, qua eduxi eos de Aegypto, vsque ad diem hanc; sicut dereliquerunt me & seruierunt diis alienis, &c.* 1.Reg.8.

HINC *illa etiam apud Amos Prophetam exprobratio. Nunquid hostias & Sacrificium obtulistis mihi in deserto quadraginta annis, domus Israël? Et portastis tabernaculum Moloch vestro, & imaginem Idolorum vestrorum, sydus Dei vestri, quae fecistis vobis, &c. In quem locum D. Hieronymus: Ex eo tempore (inquit) quo aurum in* Amos 5. Lib. 2. commentariorũ in eundem Prophetã. Psal. 106.

in caput vituli transformârunt dicentes: Hi sunt Dij tui, &c. omnia quæ fecerunt, non Deo (audiant hoc Caluini asseclæ) sed Idolis fecisse monstrantur. Denique Dauid cùm memorâsset fecisse illos vitulum in Horeb, & adorâsse sculptile, & mutauisse gloriam Dei, in similitudinem vituli comedẽtis fœnum; continuò subiecit: Et obliti sunt Deum, qui saluauit eos, qui fecit magnalia in Aegypto, &c.

Ex quibus euidenter apparet, filios Israël, cùm in deserto erexerunt vitulum, & dixerũt; hi sunt Dij tui, &c. nequaquam verum Deum per imaginem (vt Caluinus delirat) sed vanum Idolum veneratos esse:
a 3.Reg.12. *Perinde certè ac fecerunt postea, cùm*[a] *Ie-*
b 3.Reg.14. *roboam Rex (quem apertè dicit*[b] *Dominus fecisse Deos alienos & conflatiles) iisdem verbis vitulos duos, quos fecit aureos, coram multitudine compellauit. Item perin-*
Deut.32. *de ac etiam fecerunt, cùm quod Moyses propheticè de ipsis cecinit, seu luxit veriùs, opere compleuerunt: Scilicet cùm dereli-*

querunt

querunt Deum factorem suum, & recesserunt à Deo salutari suo, & prouocauerunt illum in Diis alienis, & immolauerunt Dæmoniis & non Deo: Deniq; obliti sunt Domini creatoris sui.

PERSPICVVM *igitur ex scripturis est (quidquid somniet insanum Caluini caput) & gentiles plerosque, & Iudæos simulachra pro Diis habuisse. Nunc quod ad patres attinet, non est dubium, quin passim illi*[a] *contra eos disputent, qui tum creaturas alias, tum etiam simulachra sint venerati vt Deos. Neque vnquam*[b] *Caluinianæ Idololatriæ, qua scilicet verus Deus per imaginem honoretur, meminerunt. Et Lucilius quidem, Poëta vetus, non perperam (vt est apud Lactantium) eorum stultitiam, qui sculptilia Deos putauerunt, derisit his verbis:*

Vt pueri infantes credunt signa omnia ahena
Viuere, & esse homines: Sic isti omnia ficta
Vera putant, credunt signis cor inesse ahenis.
Pergula pictorum, &c.

a Cypria. de vanitate Idolorum. Tertull. in Apologetico, ca. 11. Lactantius li. 1. de falsa religione, præsertim cap. 22. Aug. in Psal. 113. & Sermon. 74. de tempore. Chryso. 56. in Gen. cùm irridet illud Laban: Quare furatus es meos Deos?

b Lib. 1. instit. c. 22.

QVI-

QVIBVS *verſibus ſententiam quoque ſuam ſubiunxit eleganter Lactantius. Poëta quidem ait, ſtultos homines infantibus comparauit; at ego multò imprudentiores eſſe dico: Illi enim ſimulachra homines putant eſſe, hi Deos: Illos ætas facit putare, quod non eſt, hos ſtultitia: Illi vtique breui deſinunt falli, horum vanitas & durat, & ſemper creſcit.*

HOC *teſtimonium cùm ſit illuſtre, apparet peruerſum eſſe Caluini ſtudiũ, quòd vt Catholicis veteris Idololatriæ notam inurat, Ethnicos à vanitate & ſtultitia vendicare conatur, cùm ſomniat, ſimulachra olim illos pro Diis non habuiſſe, ſed hoc fuiſſe Idololatras, quòd Deum verum in ſignis venerarentur. Poteſt hic fortaſſis Caluini iocus vanis ac imperitis hominibus (qualis ille fuit) eſſe plauſibilis; iis verò, qui & Idololatriæ rationem ſuprà explicatam tenent, & in ſcripturis ac Patribus ſunt vel mediocriter verſati, planè eſt perridiculus.*

SED

SED *tentat præterea Caluinus alia via nos Idololatriæ conuincere; obiicit, quòd Augustinus alicubi sic ait: Quis autem adorat, vel orat intuens simulachrum, qui non sic afficitur, vt ab eo se exaudiri putet. Ex hoc vult Caluinus intelligi, (sicut & Heerbrandus, qui & ipse auidè hoc Augustini dictum arripuit) nos reuera in ipsis simulachris, tanquam in Diis collocare spem, ac proinde esse Idololatras. Cuius & illud argumento esse Caluinus putat, quòd eiusdem Christi simulachra non omnia pari studio atque solennitate veneramur: Nam vno prætermisso, aliud interdum votiua peregrinatione honoramus.*

Vbi suprà. In Psal. 113. Conc. 2. In Disputatione de precatione. Thesi 77.

PRIMVM, *mirabile est, tam fuisse Caluinum hoc loco cæcum, vt non viderit, sibi inprimis eam Augustini sententiam aduersari. Nam si is, qui intuens simulachrum adorat, pro Deo illud habet; falsò igitur Caluinus contendit, quod proximè refutauimus, gentiles olim (qui proculdubio intuentes simulachra adorabant) non*

non habuisse pro Diis Idola. Sed fortaßis non laborat Caluinus, Augustinum se habere contrarium, modò idem etiam nobis aduersetur. Atqui si locus diligenter consideretur, apparebit, Augustinum Caluino duntaxat, non nobis esse contrarium.

NEQVE *enim generatim ille vult, neminem omnino posse intuendo in simulachrum adorare, quin continuò habeat illud pro Deo (quam enim obsecro probabilitatem haberet ea sententia?) Sed contra illos tantùm agit Idololatras gentiles, qui sic simulachra venerabantur, vt facto ipso ostenderent, ea se rebus illis anteponere, quas per ipsa significabant: Nam, vt illic subiicit Augustinus, adorantes simulachrum Solis vel Maris, tergum ipsi soli, & mari vertebant, intuitum intendebant in simulachra: quasi maior esset in iis virtus, quæ similia hominum esse videbant, quàm in illis sensu & figura humana carentibus.*

DE huiusmodi ergo hominibus Augustinus loquens ait: Quis autem (istorum hominum subintellige) adorat vel orat intuens simulachrum, qui nō sic afficitur, vt ab eo se exaudiri putet, &c. Valet itaque, vt dicebamus, sententia hæc Augustini contra Caluinum, eò quòd probat, aliquos olim gentiles habuisse simulachra pro Diis: (quod ille impudenter negat) contra nos verò minimè; quippe qui non ostendamus pluris nos facere simulachra, quàm prototypum, vt ostendebant illi; quos ideo Augustinus censet illa Deorum loco habuisse.

IAM verò, quòd singulari ratione alias imagines præ aliis habeamus in honore, argumentum est, non quòd, vt Caluinus nugatur, reputemus illas Deos; sed quòd certa experientia nouerimus, singulariter quibusdam in locis, quasdamq́ imagines venerantibus, solitum esse DEVM præclara impertiri beneficia: Quò fidelium videlicet pietas atque deuotio ea ratione

(quæ ad humanam conditionem est accommodatißima) crescat, & accendatur magis.

PLVRA *hoc loco dicenda fuissent, si quæ ad imaginum in Ecclesia vsum asserendum pertinent, ea omnia tractanda nunc suscepissemus; at nos tantùm pro instituto nostro voluimus euincere, illum nequaquam, vt aduersarij mentiuntur, esse Idololatricum. Quod quoniam adiuuante* DEO *videmur effecisse, vlteriùs in eo argumento non progrediemur. Tantùm aduersarios monemus (si quem tamen admonitioni dant locum) velint seriò attendere ad Idololatriæ rationem, quam hac disputatione explicare studuimus: Sic enim fortaßè fiet, vt quod hactenus probauimus, Idololatriam nullam esse in Eucharistiæ, Sanctorum, imaginum, & reliquiarum cultu intelligant, atque ita desinant deinceps esse impudentes.*

POSTREMÒ *videant quæso, vtrùm non ad ipsos potiori iure pertineat, quod* D. Au-

D. Augustinus alicubi, cùm varia Idololatriæ genera numerâsset, subiunxit in hunc modum: Est alius deterior cultus simulachrorum, quòd phantasmata sua homines colunt, & quicquid animo errante cum superbia vel tumore, cogitando imaginati sunt, religionis nomine obseruant. Et alio in loco: Quisquis ait, cogitat Deum, qualis non est Deus, alienum vtique Deum & falsum in cogitatione portat.

Lib. de vera religio. cap. 38. in quam sententiam pulchrè quoque Hieron. loquitur in Comment. super 44. ca. Esaiæ. Quæst. 29. super Iosue.

SANE secundùm has Augustini sententias, tot aduersarij Idola colunt, quot falsa, sub prætextu religionis dogmata superbè sibi, contra vniuersæ Ecclesiæ iudicium persuaserunt. Denique tot habent falsos Deos, quot prauas opiniones de Christo & eius meritis, &c. susceperunt. Prorsus vt orationem illam Iosue (quam Augustinus ad tales falsorum dogmatum cultores refert) conuenienter ad istos dirigere possimus: Nunc ergo auferte Deos alienos de medio vestri, & inclinate corda vestra ad Dominum Deum Israël, hoc est,

Iosue. c. 24.

ad veram religionem, quæ non est extra Ecclesiam. Sed surdi sunt: DOMINVS *aperiat illis aliquando aurem.* AMEN, AMEN.

Laus DEO, & Beatissimæ VIRGINI MARIÆ Matri domini nostri IESV CHRISTI.

AD LECTOREM.

OPPORTVNVM hoc loco candide Lector, indicauimus te admonere; permulta ex iis, quæ in præcedenti Disputatione tractata sunt, sic in eiusdē Disputationis Apologetico, qui iam sequitur, explicari, & confirmari accuratiùs, & partim etiam quo ad nonnullos locos, tum ad obiectiones aduersarij planè diluendas, tum ad ordinem doctrinæ cōplendum necessariò repeti, vt eam ob causam vel solus Apologeticus cum Heerbrandinæ Spongiæ confutatione sufficere videri potuisset. Nihilominus quia non pauca quoque, præsertim contra Caluinum, in Disputatione sunt latiùs exposita, & asserta, quæ aut vix, aut nimis certè breuiter in Apologetico attinguntur, eam ipsam etiam Disputationem (maximè cùm breuis esset, initiumq; huic Disceptationi dedisset) putauimus in hac editione præmittendam: ne quid omnino desiderare posses.

APO-

APOLOGETICVS DE IDOLOLATRIA ADVERSVS IACOBVM HEERBRANDVM Lutheranum.

PRÆFATIO AD PIVM LECTOREM.

EXTORSIT mihi importunitas aduersariorum, non ita pridem, breuem quandam de Idololatria disputationem: Qua Ecclesiam Catholicam ex eo crimine vẽdicare ita studui, vt illorum opinione quidem plus nimio vehemens; mea verò & omnium rectè sentiẽtium, minus iusto fuerim. Quid enim? An nõ vincit omnem seueritatem orationis, tam falsa tamque improba istorum in Ecclesiam criminatio? Fateor equidem,

pro reuerētia, quam omnes Ecclesiæ sanctæ debemus, vtcunque motum fuisse me calumnia tam atroci: sed ita tamen, vt in ea coërcenda minimè satis præstiterim, quod Apostolus seriò, nec sine magna ratione monet, vt genus videlicet hoc hominum increpetur durè. Etenim irrationabilium pecorum, sicut B. Petrus vocat, adeò illi naturam imitantur, vt rationum ac nudæ doctrinæ stimulos, per se nequaquam sentiant: ideoque aculeis etiam seueritatis pungēdi interdum atque excitandi sint, quò saltem aliqua vexatione, participes intellectus fiant, & si fieri potest, deposita bestiali ferocia & petulantia, relictisque errorum ambagibus, directum veritatis iter ingrediantur.

Ad Titū 1.

2. Epist. c. 2.

IGITVR ex istorum irrationabili grege vnus Heerbrandus, tanquam cæteris petulantior, in arenam prodiit, qui contra veritatis siue stimulum siue aculeum, quo punctum se

esse

esse lamentabiliter queritur, frustrà calcitrauit: hoc est, doctrinę verę, obstinationem & ignorantiā; perfidiam fidei; Catholicorū in hac causa innocentię, calumnias opposuit. Obstinationē Heerbrandus cum cæteris hæreticis habet communem; qui, vt ab [a] Augustino & [b] Gregorio Magno verè notatū est, quoniam hæresum mater est superbia, victores semper videri volunt; etiamsi euidentissimè redarguantur. Ignorātia maximè excellit: vt cordatis quidem, Heerbrādus videri possit non tam proprio iudicio, quàm ignorātia propria condemnatus. Perfidiam ille suam cùm aliâs sæpe probauerit, tum verò in præfatione eius disputationis, quam aduersùs me edidit, luculenter confirmat: cùm eorū institutum reprehendit, qui eo animo sunt, vt si Ecclesia Catholica (quam aliôqui in ea disputatione cōcedit Heerbrādus esse fidei regulam) definiret, nigrū esse, quod ipsis appa-

a Libr. 13. contra Faustum ca. 12.

b Lib. 8. moral. cap. 2.

Ad Tit. 3.

Conc. 4.

2.Cor.10. ret album, captiuaturi sint intellectũ in obsequium fidei, & itidem pronũtiaturi quod sit nigrum. Quæ regula cùm in Apostolica Schola sit veluti primum fidei alphabetum, apparet, Heerbrandum non modò Professorẽ & Doctorẽ in Apostolica Academia, vt ille vanè se vocat, non esse, sed ne discipulum quidẽ: Qui tam turpiter inprimis Apostolicę fidei rudimentis hallucinetur. Ex calũniis Heerbrãdi (quo etiam armorum genere illum pugnare diximus) vna, vt cæteras nũc omittam, est, quòd nõ erubuerit scribere, me in tota disputatione mea, ne vnum quidem scripturæ verbum, ad confirmanda quę assererem citauisse. Quod ego mẽdacium, cùm in medio sit positum, nihil moror. Videt enim Lector, tantùm non cæcus, & me, vbi conueniebat, scripturæ diuinæ testimoniis vsum fuisse; & Heerbrandum scripturę quidem aliquando verbis & characteribus, quasi quodã aromate,

In præfatione, pagella 3. & aliâs.

doctri-

doctrinam suã, aliorum hęreticorum more, vt Lyrinensis notat, aspergere, ne fœtorem exhalet: scripturæ verò testimonia, quę in vera intelligẽtia & sensu verborum cõsistunt, nunquam omninò proferre, sed sæpè sacrilegè corrumpere, vt euidenter postea demõstrabo. Quanquam & illud ipsum sæpenumerò mecum admirari soleo, homines circa fidem reprobos, sine Deo, animales, spiritum nullum ha- bẽtes, posse vel semel diuinæ scripturę verbum aliquod, pręsertim nomen Christi Iesu, vsurpare: Neq; dubito, quin magno dęmonis artificio fiat, vt persuadeãt sibi miseri, hæc interdum verba se confidenter ꝓnuntiare; maximè verò, quãdo adeò illuduntur, vt cùm dæmonis causam tanquã ipsius misera mancipia agãt, pro Deo tamẽ se propugnare existiment, & cohortatione (quod interdũ Heerbrandus miserabiliter sanè facit) vtantur ad ꝑsuadendum aliis sua praua dogmata. In Epistol. Iudæ.

In pfatione, in Iob c. 12. Quo fit, vt, quemadmodum B. Gregorius eleganter animaduertit, simul sint inimici Dei, & vltores: Inimici, re vera; vltores & propugnatores, falsa imaginatione sua, & illusione Diaboli. Psal. 8. Sed destruet aliquando Deus inimicum & vltorem.

Nvnc, ne longè digrediar, cùm Heerbrandi communes loci, ex quibus ille argumenta contra me depromit, tales sint, quales diximus, ipse quidem neq; responsione dignus est, neq; verò responsionis capax. Itaq; si illius tantùm rationem haberem, hominem prorsus missum facerē. Nam & vereor vanitatem ipsius eiusmodi esse, vt etiā, cùm reprehēditur, modò publicè nominetur, crescat; & prætereà non tam ille existimatione sua inuincibilis est, quàm mea, & aliorū, quorum est rectum iudiciū, indocilis.

Respondebo igitur, nō vt Heerbrando respōdeam, sed vt veritatem ipsam tuear & confirmem, & aliis, pro

mea tenui facultate proſim, qui ne Heerbrandi & aliorum Pſeudoprophetarum ſomniis illudantur, charitate Chriſtiana, & ſtudio defendendæ religionis, diligenter eſt ac omni ratione prouidendum.

PORRO verba ipſa Heerbrandi & orationis cõtextum perturbatum, ſi ſemper ſectarer, moleſtã lectori facerem diſputationẽ: quòd multa ille ab hoc loco aliena immiſceat; multa, q̃ ad illum ſpectant, ob ignorantiã prætereat; quædam & ſæpius & in alienis locis repetat; Deniq; ſine ordine, ſine methodo verba verbis & theſes theſibus indoctiſſimè cõſuit, & hinc inde ignorãtia atq; errore, tanq̃ turbulẽto quodã tempeſtatis nimbo, iactatur. Ita planè, vt cùm in priori diſputatione mea definitiones duas tradiderim, Idololatrię vnã, alteram, vt ita dicam, Heerbrãdi, (qua inter cætera, ipſa rei veritate compulſus, dixi, illum, hominẽ eſſe, qui verboſè, importunè, ſine me-

methodo, fine re, fine ꝓbatione, fine iudicio, &c. diſputare ſoleat) & priorem ille tãtùm, diſputatione ſua impugnare conatus ſit; poſteriorẽ certè ratione diſputandi perturbata & ineruditа, luculentiſſimè cõfirmauerit.

FVIT verò Heerbrandinæ huius perturbationis confuſionisq; caput, quòd ne ſcopum quidẽ diſputationis meę, homo perſpicax, eſt aſſequutus: Itaq; velut cæcus oberrauit in ſua, neſciens quô tenderet. Nam ego ſolùm inſtitui docere, quemadmodum in ſacroſanctæ Euchariſtię, Sanctorum, ſacrarum imaginum & reliquiarum cultu, nulla committatur Idololatria: quod eſt, vnicum tantùm argumentum, vel præcipuã veriùs calumniam refutare ex multis, quibus aduerſarij oppugnant huiuſmodi cultus. Heerbrandus aũt, ſicut eſt ad diſcernendũ controuerſiæ ſtatum ſubtilis, putauit me integram defenſionem ac probationem harum rerum, quæ ſunt plùs

Ita monui cùm aliàs tũ aptiſsimè ca. 3. eius diſputationis.

ſatis

ſatis iam ab aliis aſſertæ, ſuſcepiſſe. Vnde factum eſt, vt præcipua capita diſputationis meæ, q̃ inprimis ad inſtitutũ pertinebãt, vix attigerit; quia bon'homo nõ intellexit, ſed, vti dixi, alia multa ineptè coaceruat, q̃ in communibus diſputationibus de Sanctis, de imaginibus &c. ſunt iam protrita.

QVÆ hallucinatio cùm euidenter declaret Heerbrandi inſcitiã, fruſtrà ille conatus eſt nobis falſum eruditionis ſpecimen præbere, citandis interdum ad marginem ſuperuacaneis Scholaſticorũ teſtimoniis, quæ fortè ſuppeditauit miſer ille atq; infelix, q ipſo p̃ſide reſpondit: Item dum veteri more ſuorum, in his ipſis Scholaſticis nõnulla carpit ac irridet, quæ ad rem omninò nihil faciunt; & deniq; dum ſophiſmata vocitat ea, quę intelligere præ ruditate non poteſt. Prætereo leuitatem illam, quam Heerbrandus in præfatione ſuæ diſputationis ꝓdidit, cùm arbitratus ea ratione ſe magnũ

mihi

mihi vulnus inflicturum, ſcripſit, orationem meam nõ eſſe meam. Quam ego cauillatiunculam non moleſtè fero; Nam parui refert, quid ille de me, falsò præſertim opinetur.

Ergo vt Lectorẽ moleſtia leuem, quam ei perturbatum hominis ingenium afferret: neceſſariò mihi vtendũ erit alia diſputandi ratione ac methodo; ſed ita tamen, vt non modò fideliter Heerbrãdi ſententiã vel ſuis, vel meis verbis vbiq; referã; ſed etiam vim illi & formam addam, quam potero, neq; quidquam in illius diſputatione præteribo, quod ſuo quidem loco, quantum commodè fieri poterit, non diluam. Cuius rei iudicem Lectorem æquum conſtituo. Quem per Chriſtum etiam precor, vt laborem hunc, ad gloriam Dei & Eccleſiæ ſanctitatem vindicandam ſuſceptum, æqui boniq; conſulat, & Domino pro me ſupplicet.

DE

DE VERA IDOLOLATRIÆ DEFINITIONE; EX QVA FACILLIMVM SIT euincere, cultum in Ecclesia vsitatum, ab Idololatria quàm maximè differre.

CAPVT PRIMVM.

PRIOREM *disputationem nostram hoc ferè syllogismo contineri Heerbrandus affirmat: Idololatria est, diuinum honorem creaturæ tribuere, sicut Deo: Catholici nequaquam hoc faciũt, cùm S. Eucharistiam, Sanctos, Sacras imagines, & reliquias venerantur: Non igitur sunt Idololatræ, sed hæretici potiùs mendaces, qui huius illos criminis impudenter accusant.* Conc. 1. & 2.

NOS *verò dabimus hoc non grauatim Heerbrando, vt methodo ab ipso proposita, nefariam eius & collegarum contumeliam refutemus. Quod vt via & ratione fiat, asserenda primũ vera Idololatriæ definitio est.*

est. Deinde falsa & cōmentitia redarguenda, quam Heerbrandus aßignauit; simulq́ detegendæ fraudes & diuinæ scripturæ corruptelæ, quibus isti rationem Idololatriæ pro libito determinant, vt eò faciliùs iniquam criminationem suam speciosam efficiant. Tertio loco, explosa atq́ euersa Heerbrandi definitione, ad nostram redibimus, ex eaq́ regulam sumemus, quæ ad factum applicata, certò indicet, vtrum Idololatria committatur, nécne. Quartò explanabimus, quale quantumq́ peccatum Idololatria sit; & quibus illa modis olim à veris Idololatris commissa fuerit: vt collata ratione cultus Ecclesiastici, cum veteri gentium superstitione, euidentiùs de Catholicorum innocentia, & improbitate aduersariorum hac in causa constet. Quibus expeditis, sigillatim atque ordine de singulis cultuum generibus in Ecclesia vsitatis dicendum erit; vt planum fiat, Idololatriam ab illis abesse quàm longißimè.

QVOD *igitur totius controuersiæ caput est, Idololatriam breuiter definimus*

esse

esse superstitionẽ, qua diuinus honor creaturæ, sicut Deo, adhibetur. Quæ definitio in altera quoque disputatione à nobis posita, adeò est & peruulgata & perspicua, vt, etsi iudicarem, Heerbrandum eiusq́ socios Theologos esse simplices (quod encomium vix Heerbrandi humilitas ferre potuit) existimauerim tamen, eos illam intellecturos, neque cessuros pueris, qui definitionem huiusmodi non ignorant. Nunc verò cùm eã inficientur, persuadeo mihi planè, ipsos esse simplicißimos; simplicitate non columbina, quam ineptè habere se ac suos Heerbrandus iactat, sed illa pecorina, quã Apostolorum princeps [a] *eiusdem farinæ hominibus iure tribuit.*

Conc. 5.

SED *requirit Heerbrandus* [b] *scripturæ testimonia, quibus hanc esse Idololatriæ definitionem confirmem. Animaduertat quæso, primùm, Idololatriam definire me (vt titulus disputationis* [c] *habebat) veram ac propriam, quam diuinæ* [d] *literæ significant, speciale peccatum superstitionis esse à cæteris distinctum. Tum si diligenter inspexerit*

a 2. Petri. 2. b Cõc. 3. & 4. c Cap. 1. d Exod. 20. Deut. 5. Leuit. 26. speciali præcepto vt speciale peccatum prohibetur. Tum apertè ab aliis peccatis distinguitur. 1. ad Cor. 6. ad Gal. 5. Apoca. 21. & 22. & Acto. 17. vbi significatur, peccatum hoc superstitionis genere contineri.

spexerit scripturæ [a] locos, in quibus mentio huius veræ & propriæ Idololatriæ fit, reperiet profectò hanc illius esse genuinam rationem, creaturæ diuinum habere honorem, sicut Deo. Nisi fortè adeò ineptus erit, vt ex scriptura Dialecticam faciat, et locũ postulet, in quo sic legatur: Definitio Idololatriæ hæc est: Creaturæ diuinos honores tribuere, sicut Deo. Quanquam ne differt quidem ab hac dicendi forma multũ, quod Sapiens de origine & ratione veræ Idololatriæ ex instituto disserens, sic pnunciat: Hæc [b] fuit vitæ humanæ deceptio, quoniam aut affectui aut regibus deseruientes homines, incõmutabile nomẽ lapidibus & lignis imposuerunt;] & quod Apostolus, [c] verissimos Idololatras describens, inquit; Coluerunt & seruierunt creaturæ potiùs, quàm Creatori.

QVÆ testimonia, cùm in mea disputatione [d] citauerim, nescio qua fronte dixit Heerbrandus, [e] ne vnum quidẽ scripturæ verbũ in illa proferri, quo definitio Idololatriæ à me tradita cõfirmetur. Nam quòd solici-

a Præsertim Psa. 105. Sapi. 13. 14. 15. Hieremi. 2. Ad Rom. 1. & vbicunque cultus veri Dei per antithesin opponitur cultui idolorũ vel Deorum alienorũ: vt Gen. 35. Exod. 23. Leuit. 19. Deut. 7. 31. 32. Iosue 23. Iudi. 2. 1. Reg. 7. & 3. Reg. 18. 2. Paralip. 7. Psal. 80. & 96. Iudith. 8. Esai. 44. Hierem. 35. Dani. 3. 1. Thes. 1.

b Sapi. 14.

c ad Rom. 1.

d Cõc. 18 & 44. Itẽ Cõc. 133. & deinceps plura citantur S. scripturæ loca ex quibus eadem

ſolicitus non fui, vt primam ſtatim pagellam, in qua eam definitionem poſui, ſcripturæ locis replerē, rei, de qua agebam, perſpicuitas effecit; tum etiam qualiſcunq; opinio mea, etſi tenuis, de Heerbrando & Collegis; quos, vt antè dixi, putabam ſaltem definitionem vulgo notā percepturos. Sed quando eam illi opinionem apud me penitus amiſerunt, et ita importuni ſunt, conſilium, quod mihi Heerbrandus dat, accipiā hoc eſt, putabo (quod antè probè intelligebam) me nō coram hæreticæ prauitatis Inquiſitoribus, vt ille ludit, ſed planè cū ipſis hæreticis diſputare; qui velut parui pueri doctrinam ſolidam capere non poſſunt, niſi fuerit fuco, veluti melle quodam illita.

PORRO *definitionem Idololatriæ à me poſitam,* [f] *D. Ambroſius expreſſit his verbis : Idololatria Dei honorificentiam vſurpat, et vendicat creaturæ.] Quam ego ſententiam Ambroſij in priori* [g] *diſputatione mea citaui; non equidem quòd definitionem per ſe manifeſtam, alicuius teſtimonio indigere putarē, ſed quòd mihi ſen-*

definitio colligi poteſt.
e Præfatione & Conc. 3. & aliâs. Conc. 4.
f In cōmentariis ſuper 5. cap. epiſt. ad Epheſ. Et eandem definitionem tradit Aug. lib 5. loquutionis de Deute. & li. 1. de trin. c. 6. & Beda in cōment. ſuper 4. cap. Lucæ, & reliqui Patres quod ad rē quidem cōſentiunt. Vt Tertull. in apologetico ca. 11. & 12. Cypr. de vanitate idolorum. Lactātius lib. 1. de falſa religione &c.
g Con. 3.

 tentia

tentiæ breuitas placeret, paucisq́ verbis vtramq́ Idololatriæ partem complecteretur, materiam videlicet, quæ est honor diuinus, & actionem, qua ad creaturam ille impiè transfertur.

Conc. 9. EXCEPIT *Heerbrandus, Ambrosium Idololatriam nō exactè definiuisse, descripsisse tantùm ab effectu & fine. Quàm bellè accommodauit, quod fortè fortuna de descriptione ab effectu et fine, per somnium audiuisse videtur? Nemo non animaduertit, Ambrosium definitione illa obiectum duntaxat siue materiā, in qua Idololatria versatur attigisse, nempe honorem diuinū, qui creaturæ attribuitur. Proinde ea definitio nequaquam ab effectu petita est, sed ab obiecto: ideoq́ bona est atq́ exacta. Quod cùm non solùm Ambrosij & aliorum Patrum authoritate, sed etiam diuinæ scripturæ testimoniis probatū sit, nihil hoc loco proficit Heerbrandus, cùm præterea negat vel Ambrosij, vel vllius Patris testimonio astringi velle se, nisi sua ex diuinis scripturis probauerit. Quasi verò aut*

perspicacior

perspicacior, aut eruditior Heerbrandus esset Ambrosio, & Augustino & aliis Patribus, qui eam esse Idololatriæ definitionem, quam diximus, ex diuinis literis didicerunt.

VERVM *non attinet iam de istorum hoc in genere arrogantia dicere: illud quod est instituti nostri videamus; ecquid nam est tandem, cur eam Idololatriæ definitionem Heerbrandus reiiciat?*

ANGVSTIOR *inquit, est definitio:* Conc. 8. Conc. 11. & deinceps. *Quod est contra Petri Hispani præcepta & aliorum, qui de Dialectica tradiderunt. Non enim eam comprehendere cultus omnes, citra vel contra præceptum diuinum vsurpatos: non opera, in quibus fiducia expiandorum peccatorum, aut vitæ æternæ promerendæ ponatur: non denique peruersa dogmata & falsas cogitationes de Deo, quæ omnia vult Heerbrandus esse Idololatriam.*

PRIMVM *scire ex ipso vellem, cur* Ephes. 5. & ad Colos. 3. *non etiam commemorauerit auaritiam, quam Apostolus dicit esse idolorum seruitutem?*

tutem? Cur non intemperatorum homi-
Philip.3. *num ingluuiem, quibus idem Apostolus pro Deo ventrem esse pronuntiat? An quòd in hoc genere sibi malè conscius, timuit, homo abstinentiæ ieiuniiq́; inimicus, ne illico ventrilatra à nobis appellaretur? Sed fortasse vidit, si hæc quoque obiiceret, in definitione nostra comprehensa non esse, statim lectorem animaduersurum argumenti vitium; cùm non magis alia, quæ numerat, Idololatria vera sint, quàm intemperantia & auaritia: vt proinde ne illa quidem debuerimus nos Idololatriæ definitione complecti.*

DEMVS *igitur Heerbrando, ea quæ recēsuit, omnia Idololatriam in Scriptura sacra dici: (quod tamen paulò pòst euincemus esse longè falsißimum) probare certè nunquam poterit, Idololatriã dici propriè; vt eo nimirum nomine significatur speciale peccatum, de quo est controuersia. Nam*
Galat. 5. *Apostolus, cùm vitia numerat, quæ manant ex cupiditate, apertè distinguit inter praua dogmata, ab Heerbrando commemorata,*

rata, & idololatriam: Manifesta inquit, sunt opera carnis, quæ sunt; fornicatio, immunditia, impudicitia, luxuria, idolorum seruitus, veneficia, & dissensiones, sectæ,] hoc est, hæreses, vt græca vox habet, & oẽs interpretantur. Sic etiam Ioannes incredulitatem infidelitatémque, cùm à cæteris peccatis, tum ab Idololatria propriè sumpta separauit. Timidis autem inquit, & incredulis & execratis, & homicidis, & fornicatoribus, & veneficis, & Idololatris, & omnibus mendacibus, pars illorum erit in stagno ardenti igne & sulphure, quod est mors secũda.] Et quemadmodum alia virtus est fides, alia religio; sic necesse est aliud peccatum sit error fidei contrarius, aliud Idololatria, quæ religioni repugnat. Apocal. 21. & 22.

SI concederemus etiam illud, quod post confirmabimus esse merum Hæretici cerebri delirium, scilicet fiduciam in meritis, et cultum diuinitus non præceptum, peccatum esse, & Idololatriam dici posse: nequaquam tamen hæc propriè dicerentur Idololatria, sed ad superbiã potiùs, vel ad determina-

minatam superstitionis speciẽ pertinerent, quam Theologi superfluum cultum appellant. Quis enim vsq; adeò insaniat, vt putet eum, qui vitam æternam bonis operibus promereri studet, & citra præceptum vouet aliquid, v.g. eo ipso propriè seruire magis creaturæ, hoc est, operibus, vel voto, quàm creatori, illisq; tribuere, quod est diuinitatis proprium? Atqui in hoc Idololatria propriè sita est, vt docent sacræ literæ.

Suprà citatæ.

VT igitur maximè liberalis esse erga Heerbrandum velim, nihil amplius concedere illi possum, quàm vt ea, quæ asserit in definitione Idololatriæ à me tradita non comprehendi, Idololatria metaphoricè dici queant: illa nimirum ratione, qua ob analogiam quandam, & auaritia, & intemperantia, vt Apostolus ait, & vniuersa denique vitia, Idololatria nõ omnino ineleganter dici possunt. Vt enim Idololatræ Deos suos; sic peccatores quique eas res, quas peruersè adamauerunt, pro fine habent vltimo, cui sese tanquam Domino mancipant,

,, *neglecto Deo. Vnusquisq;, ait Hieronymus,*

adorans

adorans vitia sua atque peccata, Deum habere cœpit, à quo victus est, dicente Petro Apostolo: A quo enim quis superatur, huius & seruus est. Auarus aurum, gulosus ventrem, libidinosus penem & Beelphegor colit, lasciua mulier, quæ cùm sit in delitiis, mortua est, adorat venereas voluptates.] „In cõmentariis super 2. ca. Prophetę Amos. „2. Petr. 2

LIBET *nunc Heerbrandum ad popularem meũ (vt ille appellat) Petrum Hispanũ reuocare, ex ipsoq́ percontari, quomodo intellexerit, quod hic auctor præcipit, ne definitio angustior sit definito, sed comprehẽdat omnia, quæ continẽtur in illo: Itáne, vt comprehendere debeat etiam illa, quibus per metaphoram, definiti nomen accommodatur? Facit quidem Heerbrandi acumen vt suspicer, illum ita crassè hanc Dialecticæ regulam intellexisse; sed opinor tamen, fateri ipsum pudebit, ne fortè tum cogatur, in definitione leonis, quam ab ipso exempli gratia petemus, Christum & Belial coniungere. Nam vterq́ in scripturis, quod fortè non ignorat, leo metaphoricῶs dicitur. Ne igitur in id absurdum & alia* 1. Petri 5. Apocal. 5.

id genus incurrat, fateatur necesse est, Dialecticorum illud definiendi praeceptum abunde seruari, si omnia, quibus propriè attribuitur definiti nomen, definitione comprehendantur. Hoc cùm à me in definitione Idololatriæ præstitum sit, intelligat Heerbrandus, se ineptè facere, cùm argumentatur, illam vitiosam esse, quòd quædam non comprehendat, quibus, vt ostensum est, Idololatriæ nomen (si maximè daremus Heerbrando quicquid vult) non nisi metaphoricè competere potest.

Conc. 149. & 150.
a In cōmentariis super 44. ca. Isaiæ.
b Quæst. 29. super Iosue & lib. de vera religione ca. 38.
Conc. 20.

SANE *non fugiebat me, nonnulla vitia Idololatriam per tropum dici solere. Nam & in fine disputationis prioris, testimonio* [a] *Hieronymi vno, & duobus item* [b] *Augustini productis, hæresim Idololatriæ speciem habere confirmaui. Itaque ridiculus admodum mihi Heerbrandus fuit, quòd hanc ipsam Augustini sententiam, & confessionem meam, definitioni Idololatriæ à me traditæ opposuit, quasi fuerim eius posteà oblitus, eamq; destruxerim ipse, cùm aliquem Idololatriæ modum in illa non com-*

pre-

prehensum commemoraui. Debuisset potiùs vir bonus vel ex eo discere, quod hactenus ignorauisse videtur, definitioni videlicet (vt dictum est) nihil obstare, quòd aliquibus per tropum definiti nomen accommodetur, quibus illa nō quadret. Sed in hoc Heerbrandus simplex atque ignorans fuit, in illo non satis callidè versutus, quòd vt probaret, hæreses Idololatriam quoque esse, in nostra definitione non comprehensam, altero è duobus testimoniis Augustini, quæ in eandem sententiam ipse adduxi, vtitur primùm; deinde quando assertione quoque Conc. 18. *mea idem confirmare vult, tacito illo testimonio Augustini, altero duntaxat dicit me* Conc. 20. *idipsum probauisse, cùm tamen vtrumq; testimonium ego eodem in loco citauerim. Ita dum hac dissimulatione cauere voluit, ne quis suspicaretur, illum ex disputatione nostra testimonium id Augustini, quo primùm vsus est, accepisse, furti suspicionem commouit.*

DE

DE FALSA, ATQVE INEPTA DEFINITIONE IDOLOLATRIÆ, QVAM ASSIgnauit Heerbrandus: Item de variis fraudibus & diuinæ ſcripturæ corruptelis, quibus ille probare nititur, Catholicos eſſe Idololatras, etiamſi non creaturę, ſed vero Deo diuinum cultum adhibeant.

CAPVT II.

NVNC cùm docuerimus, quàm ille perperam in oppugnanda definitione Idololatriæ, à nobis tradita laborârit, eam quam, noſtra reiecta, ipſe aſsignat, audiamus. Cõc.11. ,, *Verba illius ſunt hæc: Idololatria igitur, idola, ſicut & Dij alieni, in ſacra Scriptura non ſunt tantùm Baal, Aſtaroth, Chamos, Sterthe, aut gentium ſimulachra ex quacunque materia facta: ſed quoque omnis generis cultus & opera, quæ vel ingenio humano, quantumuis animo & diuini cultus intẽtione ſint excogitata, vel etiam ab*

ab ipsomet Deo præcepta, præter tamen verum verbi Dei rationem impenduntur, (id est, vt ille sæpius exponit, citra præceptum) quamuis non in idoli aut dæmonis, sed veri Dei honorem, eo tamen fine & fiducia fiunt, vt illorum meritis & scelera expientur, & vitam æternã consequamur, ac mereamur.] Conc. 45 & 56. & 97. 100. 105. 117.

MIRVM, *quòd talis tantusq́ definiendi artifex, vel vno verbo ausus fuerit in disputatione sua garrire de Dialectica & de Petro Hispano. Potuisset & clariùs & breuiùs dicere; Idololatria est, quicquid ego volo in Ecclesia Romana esse Idololatriam. Culicẽ antea excolabat, cùm definitionem Idololatriæ nostram, descriptionem tãtùm ab effectu esse contendebat; nunc camelum deglutit, cùm res longè inter se diuersissimas contra omnem artem, vnica definitione comprehendere vult. Vt enim Idololatriæ, idolorum, & Deorum alienorum non vna natura est; sic nullo modo potest vna tradi cõmunis his omnibus definitio, qualem iste, & accuratam quidem, tradere se profitetur.*

Vitia quatuor definitionis Heerbrandi.

PRIMVM *igitur huius definitionis vitium & maximũ est, quòd nequaquam est definitio, cùm non vnius rei genus & differentiam breuiter tradat, sed multas absurdè coaceruet. Alterum, quòd cùm omnia voluerit (etsi ineptè) Heerbrandus complecti, quæ quouis modo Idololatria in scriptura dici solent, non tamen est omnia eiusmodi complexus. Non enim comprehendit auaritiam, non intemperantiam, nõ reliqua peccata, quæ, vt suprà diximus, aliquo modo Idololatria dici solent. Itaque in eo ipse se verissimè condemnauit, in quo me falsò iudicauit ac temerè. Ille enim pro instituto suo definitionem posuit angustiorem definito: Ego minimè, qui, vt suprà dixi, Idololatriam solùm propriè, vt est speciale peccatũ, definiui. Tertium Hellbrandinæ definitionis vitium est, quòd quædam comprehendit, quæ nõ tantùm Idololatria non sunt, sed ne peccatum quidem, hoc est, spontaneos cultus, & merita, Deo gratissima, vt statim demonstrabimus. Quartum: quòd si maximè concederemus, omnia, quæ*

in definitione ponit, peccata esse, (quod ipsum tamen impium est.) & Idololatriam dici posse, id quidem de Idololatria tantùm per metaphoram esset intelligendum, vt superiùs probatũ est; non de ea, quæ speciale peccatum est, quámque definire oportuit. Nã illa metaphorica, cùm contineat omnia peccata, definiri nequit.

S E D *audire mihi iam videor orationem eam, qua se suosq́; Heerbrandus consolabitur, cùm vitia hæc definitionis suæ diluere non poterit. Esto, dicet, Idololatriam verè ac propriè non definiuerim, cùm illam esse affirmaui voluntarios cultus ac merita: sint hæc Idololatria tantummodò metaphoricè. Illud certè manebit, Papistas metaphoricè esse Idololatras.*

VERVM *ne sic quidem elabi Heerbrandus poterit. Nám primùm si metaphoricè tantùm & impropriè nos Idololatras esse censet, fateatur oportet, se hactenus non metaphoricè, sed maximè propriè calũniatorem egisse, qui subinde affirmârit, Catholicos veterem Ethnicorũ Idololatriam,* Conc. 49. & 149. &c.

quæ

quæ sine vlla dubitatione propria ac vera fuit, non exæquâsse modò, sed multis etiam parasangis superâsse. Deinde qui poterunt deinceps habere vigorem, Heerbrandi & sociorum conuicia atque scurrilitates apud populum, si declarent non alia ratione Catholicis Idololatriam se tribuere, nisi qua ratione falsa dogmata, cæteráque peccata omnia similitudine quadam dici possunt Idololatria? Frigescent profectò plurimùm eorum in nos maledicta, cùm hoc modo ipsi inprimis tot Idololatriarum, siue Deorum alienorum rei à nobis optimo iure agantur, quot errorum aduersus fidem Catholicam ipsos accusamus, vt in fine prioris meæ disputationis dicebam.

CÆTERVM *ne vllum ad calumniam aditum istis relinquamus, operæpretium fuerit etiam docere, quæ Heerbrandus in definitione sua ponit, ne secundùm metaphoram quidem Idololatriam censeri posse omnia. Actionum ille genera quatuor in ea confundit. Vnum quo diuini honores assignantur idolis, aut cuiuis creaturæ sicut*

Quenã Heerbrandus sua in definitione indoctè complexus fuerit.

Deo:

Deo: Alterũ, quo cultus aliquis vſurpatur contra DEI *præceptum, quo ad aliquam circumſtantiam, loci nimirum, vel rei oblatæ Deo &c. Tertium, quo aliquid omnino ad cultum* DEI *geritur ſine* DEI *præcepto. Poſtremum, quo quæuis opera ſiue ex præſcripto legis, ſiue ſpontè ſuſcipiuntur animo expiandi peccata, et promerendi vitam æternam.*

Primum genus fateor ipſam Idololatriæ rationem nõ metaphoricè, ſed omnino propriè continere; vt ſi nihil aliud Heerbrandus addidiſſet, tum demum fuiſſet cenſendus Idololatriam rectè definiuiſſe. Secundi generis actiones, quibus nimirum diuinus honor, ſecùs quàm oportet Deo adhibetur, quia ob prauam circumſtantiã illicitæ ſunt, facilè quoq; concedo, Idololatriam per metaphoram ea ratione dici poſſe, qua cætera peccata vniuerſa: ſed illud minimè dabo, actiones has in illis ſcripturæ locis Idololatriam cenſeri, quibus Heerbrandus cõtendit: Præſertim, cùm fallaciter ex illis probare conetur, veram Idololatriam in cul-

Conc. 12. *tu etiam posse consistere, qui vero Deo tribuatur.*

Iudicum 8. *Allegat primò, quòd Israëliticus populus fornicatus esse dicatur in Ephod; sacerdotali veste magnifica, quam Gedeon ex auro conficiendã curauit; idq; solùm propterea, quòd illa ad sacrificandũ Deo, dictus populus vteretur extra diuinum tabernaculum: quod fas non erat, vt D. Augustinus interpretatur. Dum autem populus fornicatus esse dicitur, Idololatriam patrâsse, iuxta Prophetarum phrasim intelligendũ est,] inquit Heerbrandus.*

Quæst. 41. in lib. Iudicum.

Cuiusmodi fuerit Israëlitici populi peccatum, quòd in Ephod fornicatus sit; vti scribitur.

Duobus modis interpretatur illic Augustinus eum locum; primò vt intelligatur stupidus ille populus adorauisse eam vestẽ, tanquam Deum quendam siue idolum, admiratus scilicet illius pulchritudinem & splendorẽ ac formam: Nam vt D. Augustinus ait, ita erat auro contexta, vt erecta, instar idoli cuiusdam staret, id quod putat posse colligi ex verbis illis: Fecitq; Gedeon Ephod, & statuit (vt 70. verterunt) illud in ciuitate sua Ephra.] Iuxta quàm interpretationem, etsi fornicationem eo loco pro

Idolo-

Idololatria accipiamus, nihil omnino probauerit ad suum Propositũ Heerbrandus; quandoquidem Idololatria hæc, non in cultu aliquo ad Deum verũ relato, vt ille contendit, sed ad creaturam stolidè pro DEO *habitam referebatur.*

EXPONIT *deinde Augustinus, fornicationẽ illã in eo etiã potuisse consistere, quòd populus, contra diuinam legem, Ephod extra tabernaculum vteretur, ad sacrificandum vero Deo. Quæ expositio nihilo magis quàm prior Heerbrando suffragatur. Nam cùm hoc posteriori modo Augustinus eam fornicationem interpretatur, minimè illã peccatum Idololatriæ fuisse censet. Sed neque ratio vlla est, cur nos id censeamus. Quod enim Heerbrandus asseuerat, fornicationis nomine, apud Prophetas, Idololatriam significari, non est semper ita. Quinimò* [a] *eiusdem Augustini sententia, peccatũ omne, quo mens spiritualiter polluitur, atque corrumpitur, fornicatio in scripturis appellari solet. Vt cùm ait* [b] *Propheta: Qui*

Spiritualis fornicatio non semper in scripturis accipitur pro Idololatria.

a Lib. 1. de sermone Domini in mõte cap. 16. & li. 1. retract. cap. 19. Et Hom. etiam 50. de verbis Domini ait, fornicari à Deo esse ad voluptates cum affectu deflectere. Quod inprimis fit aliis peccatis.

b Psalm. 72.

elongant se à te peribũt, perdidisti omnes, qui fornicantur abs te. Adiungit enim; Mihi adhærere Deo bonum est &c. itaque quicquid huic casto amori contrarium est, fornicationem appellat. Sic aliâs etiam id nomen in scriptura accipitur.

Sicut illic D. Aug. interpretatur. Numer. 15. Hebr. 12. Apocal. 17.

POSSVMVS *& aliam eius loci interpretationem, ex ipso textu elicere fortè planiorem. Quod enim priùs dicitur; Et fornicatus est in Ephod omnis Israël &c. hoc idem postea repetitur, & declaratur factũ esse per veram Idololatriam, qua diis falsis gentium diuinus honor est exhibitus. Sequitur enim paulò pòst: Postquam autem mortuus est Gedeon, auersi sunt filij Israël & fornicati sunt in Baalim, percusseruntq́ cum Baal, fœdus, vt esset eis in Deum; nec recordati sunt Domini* DEI *sui, qui eruit eos de manibus inimicorum suorum, nec fecerunt misericordiam cum domo Ierobaal Gedeon.*] *Itaque mortuo Gedeone, primùm fornicatus est in Ephod omnis Israel, quum veste illa populus abutebatur ad sacrificandum Baal & Baalim diis gentium. Quod*

Iud. 8.

Ex cap. 18. eiusdem lib. apparet eiusmodi vestem ad sacrificãdum Diis vsurpari solitam fuisse.

Quod qua ratione factum sit Gedeoni & omni domui eius in ruinam, tum etiam explicatur, cùm additur; Nec fecerunt misericordiã cum domo Ierobaal Gedeon, iuxta omnia bona, quæ fecerat Israël.] Calamitas enim familiæ, ruina Gedeonis etiam, [a] *scripturæ more, dicitur. Quòd si huius loci sensus hic est, vt planè videtur esse, nequaquã ex illo probat Heerbrandus, cultum vero Deo, secùs quàm oportet, exhibitum, Idololatriam in scriptura dici, sed potiùs quod nos asserimus, inde confirmatur; Idololatriam videlicet esse, cultum diuinum Diis falsis atq; adeò creaturæ tribuere, vt tum fecit ille populus.*

[a] Sic mors Isbosethfilij Saul, vltio quoq; Saul dicitur. 2. Regum 4. Dedit Dominus Domino meo regi vltionẽ hodie de Saul & de semine eius. Et passim aliàs in scriptura occurrit hæc phrasis.

CÆTERVM *quòd hoc loco paulò obscuriori Heerbrandus abusus sit, non valde miror; illud mirari satis non possum, quòd ad idem propositum citat illam ex Propheta Michææ sententiam: Nunquid placari potest Deus in millibus arietum? quasi sensus sit, Deum sacrificia sibi à populo Israëlitico pro peccatis exhibita repudiauisse, tanquam Idololatrica, vt Heerbrandus vult*

Conc. 3. Mich. cap. 6.

ob circumstantiam finis, scilicet expiationis peccatorum. Si ita est, Idololatriam Deus illi populo præcepit, cùm varia pro peccatis [a] Leuit. 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10. 12. 16. 23. Numer. 6. 7. 15. 19. 28. 29. *sacrificia ipsum offerre* [a] *voluit. Sensus igitur eius loci longè alius est, nimirum sacrificia veteris legis ad expiationem peccatorum vsurpata, etsi legitima fuerint, at non illa tamen per se vim habuisse culpas expiandi, Deumq; placandi: quinimò conuersione præterea mentis in Deum, ac solicitudine adipiscendæ salutis opus fuisse, ad fructum passionis Christi futuræ, cuius illa sacrificia tantùm figura erant, participandum, atque adeò ad habendum propitium Deum. Vnde ibidem sequitur: Indicabo tibi, ô homo, quid sit bonum, & quid Dominus requirat à te, vtique facere iudicium, & diligere misericordiam, et solicitum ambulare cum Domino Deo tuo.*]

Conc. 14. Ierem. 2. *V* R G E T *præterea vel deprauat potiùs sententiam illam Ieremiæ, Idololatriam Israëlitici populi ita exprobrantis: In omni colle sublimi & in omni ligno frondoso, tu prosternebaris meretrix.*] *Quibus verbis*

cum

eum cultum à Propheta taxari dicit Heerbrandus, de quo alibi scribitur: Attamen adhuc populus immolabat in excelsis Domino Deo suo.] Tum colligit, Idololatriam à Propheta censeri cultum vero quidem Deo exhibitum, sed ob id illegitimum, quòd extra locum, quem Deus elegerat, exhibeietur. Heerbrandi somnium est, ibi Prophetam cultum illum, qui vero Deo in excelsis locis exhibebatur, reprehendere. Non est ita: sed accusat potiùs ethnicam superstitionem, quam populus Israëliticus colens in excelsis locis etiam Deos alienos, infeliciter à gentibus didicit, cùm diuinitùs esset admonitus atque iussus, illam funditus abolere. Sic enim Moyses: Hæc sunt præcepta atque iudicia, quæ facere debetis in terra, quam Dominus Deus patrum tuorum daturus est tibi, vt possideas eam cunctis diebus, quibus super humum gradieris; subuertite omnia loca, in quibus coluerunt gentes, quas possessuri estis, Deos suos super montes excelsos & colles, & subter omne lignum frondosum.]

2. Paral. 33.

Deut. 12.

HVNC igitur Deorum alienorum in excelsis locis, cultum notat illic (sicut alij [a] Prophetæ etiam fecerunt) in populo Dei Hieremias. Quod quidem vel ex eodem Prophetæ loco deprehẽdere potuisset Heerbrandus, nisi libidine quadam scripturas deprauandi fuisset occæcatus. Nam paulò antè eandem populi superstitionem & impietatem, sic per locũ à minori, exaggerat: Si mutauit gens Deos suos, & certè ipsi non sunt Dij: populus autem meus mutauit gloriam suam in idolũ. Obstupescite cœli super hoc &c.] Postea quoque, vt eius impietatis, quam meretriciam per tropum dixerat, turpitudinem monstraret magis, hac vtitur similitudine: Quomodo confunditur fur, quando deprehenditur, sic confusi sunt domus Israël, ipsi & reges eorum, principes & sacerdotes, & prophetæ eorum, dicentes ligno, pater meus es tu, & lapidi, tu me genuisti. Verterunt ad me tergum & non faciem, & in tempore afflictionis suæ dicent, surge & libera nos. Vbi sunt Dij tui, quos fecisti tibi? surgant & liberent te in tempore affli-

a Isai. 57. Ezech. 6. de quo etiam, 4. Reg. 14. & 16. & 2. Paral. 28.

Cap. 2.

afflictionis tuæ.] *Potuítne aut pluribus aut clarioribus verbis indicare Propheta, cultum se damnare, quo populus Israël faciem, hoc est, intentionem animi omnem non ad verum Deum, vt Heerbrandus desipit, sed ad Deos gentium falsos conuertit? Quid quòd sequenti capite arguens populum Iuda, quòd in eo scelere populum Israël fuerit imitatus, sic inquit: Nunquid vidisti, quæ fecerit auersatrix Israël? abiit sibimet super omnem montem excelsum &c. & vidit præuaricatrix soror eius Iuda, quia pro eo quod mœchata est auersatrix Israël, dimisissem eam & dedissem ei libellū repudij, & non timuit præuaricatrix Iuda soror eius, sed abijt & fornicata est etiam ipsa, & facilitate fornicationis suæ cōtaminauit terram, & mœchata est cum lapide & ligno.*] *Apertiùs adhuc in sacra historia; Et fecit* 3.Reg.14. *Iudas malum coram Domino, & irritauerunt eum super omnibus, quæ fecerant patres eorū in peccatis suis, quæ peccauerunt. Aedificauerunt enim & ipsi sibi aras & statuas & lucos, super omnem collem excel-*

sum, & super omnem arborem frondosam, sed & effœminati fuerunt in terra, feceruntque omnes abominationes gentium, quas attriuit Dominus ante faciem filiorum Israël.]

ERGO *Hieremias cultum impium, quo idolis gentium populus* DEI *sacrificabat, velut Idololatriam accusat, non illum, vt ait Heerbrandus, cuius fit mentio, cùm dicitur: Attamen adhuc populus immolabat in excelsis Domino Deo suo. Quanquam non est negandum, & hunc item cultum, ob circumstantiam profani loci, illicitum fuisse. Postquam enim Deus per Moysen iusserat, aras & lucos gentium in nemorosis locis ac excelsis collibus constructos deleri, illicò adiecit: Non facietis ita Domino Deo vestro, sed ad locum, quem elegerit Dominus Deus vester, de cunctis tribubus vestris, vt ponat nomen suum ibi, & habitet in eo, venietis, & offeretis in loco illo holocausta & victimas vestras.] Itaq; in hanc Dei legem populus committebat, cùm adhuc, vti scribitur, immolaret Domino Deo suo*

Qualenam peccatũ populus Israëliticus commiserit; cũ adhuc immolabat in excelsis Domino DEO suo.

Deuter. 12.

ſuo in excelſis. Veruntamen peccatum hoc in Scriptura ſacra nō cenſeri Idololatriam, neq; hoc nomine à Prophetis vituperari, ex eo ipſo loco, in quo illud commemoratur, docere poſſumus. Recenſetur illic primùm vera ac própria, ſecundùm noſtram definitionem Idololatria, quam Manaſſes Rex Iuda, & admiſit ipſe, & Dei populo perſuaſit. 2.Paral. 33. *Tum eiuſdem reſipiſcentia indicatur, & quomodo priorem aboleuerit Idololatricam impietatem; ſed additur tamen, hoc vnicum in populo peccatum hæſiſſe, quòd in excelſis immolabat Domino Deo ſuo. Ita, cùm perſpicuè ſcriptura diſcernat inter Idololatriam iam ſublatam, & peccatum illud reliquum, quod populus committebat, apertè indicat, hoc diuerſum ab Idololatria peccatum fuiſſe. Quarè incidit in foueam Heerbrandus, quam fecit, hoc eſt, locum attulit, qui phantaſticæ definitioni Idololatriæ ſuæ non fauet; noſtræ autem inprimis fauet.*

EFFICIENT *hoc ipſum ſcripturæ verba planiùs: Fecit autem Manaſſes malum coram Domino, iuxta abominationes*

gentium

gentium, quas subuertit Dominus coram filiis Israël; & conuersus instaurauit excelsa, quæ demolitus fuerat Ezechias pater eius, construxitq; aras Baalim, & fecit lucos & adorauit [a] omnem militiam cœli & coluit eam, &c. & nonnullis interiectis: Igitur Manasses seduxit Iudam & habitatores Hierusalem, vt faceret malum super omnes gentes, quas subuerterat Dominus à facie filiorum Israël.] Hactenus Regis & populi Idololatria. Sequitur nunc pœnitentia. Qui postquam coangustatus est, orauit Dominum, & fecit pœnitentiam &c. & abstulit Deos alienos, & simulachrum de domo Domini &c. Porrò instaurauit altare Domini, & immolauit super illud victimas & pacificas & laudem, præcepitq; Iudæ, vt seruiret Domino Deo suo. Tum subiicitur: Attamen adhuc populus immolabat in excelsis Domino Deo suo.] Notanda est vis particulæ, attamen: Quasi sit sensus, etsi Idololatria sublata fuerit, hoc tamen reliquum erat, quòd non fuit quidem Idololatria, sed fuit peccatum tamen. Indicarunt

[a] Hæc vera Idololatria est: non quā Heerbrandꝰ fingit in cultu qui vero Deo exhibeatur.

apertiùs

apertiùs 70. interpretes hunc ſenſum, cũ ſic verterunt; Attamen adhuc populus immolabat in excelſis, ſed Domino Deo ſuo,] tanquam apertè diceretur: Attamen peccabat populus immolando in excelſis, non tamen peccato Idololatriæ, quia non idolis ſeu Diis alienis, vt antè, ſed Domino Deo ſuo.

QVOCIRCA *peruersè Heerbrandus contendit, cultum quomodocunque illicitum, tametſi vero Deo exhibeatur, Idololatriam in Scriptura cenſeri. Illud verò longè peruerſiſſimum, quod vt idem euincat, fingit ex ſuo cerebro, Idololatriã, quam Hieremias arguit, cùm dicit; Secundùm numerum ciuitatum tuarum erant Dij tui Iuda,] aliã non fuiſſe, quàm quòd in omnibus & ſingulis ciuitatibus contra mandatum Dei, ille populus altaria extruxiſſet, in quibus immolaret Domino Deo Iſraël. Horrendum prorſus ſacrilegium, diuino verbo ac literis vſq; adeò abuti licenter, homines præſertim qui verbi Dei prætextu, tot animas innocentes perdiderunt.*

Cõc. 13. 14. & 15.

Ierem. 3.

Corrumpit Heerbrãdus turpiter diuinam ſcripturam.

EX-

Quis illius loci sensus sit: Secundùm numerum ciuitatum tuarum erãt dij tui Iuda. Ierem. 3.

EXPONEBAT illic Propheta, quemadmodum populus ille sub omni ligno frondoso, vt suprà dictum est, mœchatus per Idololatriam fuisset, dicens ligno, pater meus es tu, & lapidi, tu me genuisti;] *tum sequitur; verterunt ad me tergum & non faciẽ, & in tempore afflictionis suæ dicent, surge & libera nos, vbi sunt Dij tui, quos fecisti tibi; surgant & liberent te, secundùm quippe numerum ciuitatum tuarum erant Dij tui Iuda. Ab hoc contextu, nemo sanæ mentis negabit, interpretationem illam Heerbrãdi plùs quàm cœlũ à terra distare.*

Ierem. 11.

SED *audiamus etiam Prophetam alibi ex ore Dei eandem sentẽtiam repetentem, & exponentem, quales isti Dij fuerint. Et hi ergo inquit, abierunt post Deos alienos, & seruierunt eis, irritum fecerunt domus Israël & domus Iuda pactum meum, quod pepigi cum patribus eorum. Quamobrem hæc dicit Dominus, Ecce ego inducam super eos mala, de quibus exire non poterunt, & clamabunt ad me & non exaudiam eos: Et ibunt ciuitates Iudæ, & ciuitates*

tates Hierusalem, & clamabũt ad eos, quibus libant, & non saluabunt eos in tempore afflictionis eorum: secundùm numerum enim ciuitatum tuarum erant Dij tui Iuda, & secundùm numerum viarum Hierusalem posuisti aras confusionis, aras ad libandum Baalim.]

CONFERAT *nunc quæso æquus lector cum Propheta Pseudoprophetam, hoc est, Heerbrandum cum Hieremia, & attendat, quàm isti cõuenienter diuinæ scripturæ (vt sese vanissimè iactare solent) ratiocinentur. Hieremiæ verba iam audiuimus, Heerbrandi sunt ista: Secundùm numerum ciuitatum tuarum erãt Dij tui Iuda. Quia inquit, in his omnibus & singulis altaria extruxerant, in quibus immolarent Domino Deo Israël. Hos ergo inquit, cultus omnes & singulos præter verbũ Dei institutos etiãsi in honorẽ veri Dei exhiberent, Prophetæ tamen non animo & intentione eorum cõsideratis, Deos nominant alienos. Cùm verò inquit, non idolis gentium neq; creaturæ, sed soli creatori Domino Israël* Antithesis doctrinæ Heerbrandi, & Ieremiæ.

sacra

ſacra hæc faceret Hebræi, Idololatræ haberi nolebant &c.] Hieremias, vt vidimus, aras in ſingulis ciuitatibus dicit conſtruxiſſe illum populum, ad ſacrificandum Baalim; Heerbrandus contrà, ad ſacrificandum non creaturæ aut idolis, ſed ſoli Deo. Iudicet nunc ipſemet, vtrinam potiùs ſit credendum, & ferat æquo animo, ſi antiprophetam ipſum vocemus.

DETEGENDA *nunc eſt altera huius hominis impoſtura non multò minor.*
Ierem. 3. *Poſt illa Hieremiæ verba; ſecundùm numerum quippe ciuitatum tuarum erant Dij tui Iuda, proximè ſequuntur iſta: Quid vultis mecum iudicio contendere? Omnes dereliquiſtis me, dicit Dominus.] Cuius orationis gemina vis eſt; Nam & euidentem iuſtitiam cauſæ Dei aduersùs infidelem illum populũ declarat; & prætera ad eiuſdem populi ingenium peruicax alludit. Siquidem ille procliuis erat ad ſcelera, quorum ſibi conſcius erat, & interdum conuictus quoque fatebatur, vel excuſanda, vel impudenter etiam inficianda. Sicut ibidem paulò*

paulò antè ait Dominus; Quomodo dicis non sum polluta, post Baalim nō ambulaui? ac paucis interiectis: Et dixisti, desperaui, nequaquam faciam; Adamaui quippe alienos, & post eos ambulabo. Quomodo confunditur fur, quando deprehenditur, sic confusi sunt domus Israël dicentes ligno, pater meus es tu &c.]

QVID *verò noster Heerbrandus? Nimirùm pro candore suo sic interpretatur hunc locum, vt affirmet, Catholicos, quando negant, se Idololatriam in cultu committere, perinde frigidè excusare se, & veritatem ipsam inficiari, ac olim faciebat populus ille Idololatra. Calumnia est vanissima; cùm iam ex diuinis literis probauerimus, populum illum non ad Deum verum, vt nos, sed ad Deos falsos gentium direxisse cultum diuinum, vt interdum ipse quoque conuictus fatebatur. Quarè non potuit is populus nisi impudēter Idololatram se esse, negare; Ipsi Idololatras esse nos (quod impudenter hæretici affirmant) negamus iustissimè & verissimè.*

Conc. 15.

Nō potuisse Israëliticum olim populum Idololatriæ crimē iustè diluere, vt nunc diluunt Catholici.

RECTE *igitur suprà dixi, cultum vero quidem Deo exhibitum, sed mala circumstantia deprauatum, Idololatriam metaphoricè, sicut & vniuersa peccata, dici vtcunque posse: veruntamen ne hoc quidem demonstrare Heerbrandum ex his scripturæ locis, quæ vt id probet, peruersè corrumpit. Ac fuimus fortasse hac in re paulò longiores. Verùm ostendenda fuit Heerbrandi fraus & collegarum, qui his scripturæ corruptelis conantur suadere, Idololatriam veram in vero etiam Dei cultu posse admitti. Quem conatum in sequentibus quoque repellemus.*

Spontaneũ cultum longè differre ab Idololatria.

a Cùm aliàs tum Genes. 4. & 8. Num. 6. 1. Reg. 1. Ieremiæ 35. Ioan. 3. Hebr. 11.

b Matth. 19 & Apostol. 1. Cor. 7.

SEQVITVR *nunc tertium actionum genus ex iis, quæ Heerbrandus, vt suprà cõmemorabamus, in definitione sua tanquam Idololatriam damnauit, nimirum, quo Deus sponte colitur citra præceptum. Hoc tantùm abest ab Idololatria vera, vt ne peccatum quidem sit vllum; quin potiùs obsequij genus præclarum atque magnificum, quod Deus non solùm* [a] *probat & acceptum habet, verumetiam* [b] *cõsulit, vnde confi-*

confidenter Propheta[c] *Dauid, cùm spontè iurasset custodire legem Dei, orationem illam subiecit: Voluntaria oris mei beneplacita fac domine &c.*] *Ne autem vagemur extra Propositum in communi loco latiùs, placet ea, quibus Heerbrandus spontaneũ cultum oppugnat, et Idololatriam illum facere studet, in medium adducere.*

Qua de re vide D. Aug. lib. 1. de adult. cõiugiis ad Polentiũ cap. 14. vbi ait: Multa sunt autem facienda nõ iubente lege sed libera charitate: & ea, inquit, sunt in nostris officiis gratiora. Quã sententiam latè ibi ex diuina scriptura pbat.

[d] LACERAT *primùm scripturæ testimonia quædam, in hunc ferè modum: Aliqui ex populo Israëlitico fuêre, qui optima intentione filios & filias suas Deo vero offerrent, pro expiatione videlicet peccatorum; iuxta illud:*[e] *Quid dignum offeram Domino &c? nunquid dabo primogenitum meum pro scelere meo, fructum ventris mei pro peccato animæ meæ &c? Atqui Deus cultum hunc (quia illum ipse non præcepit) Idololatriæ damnat, adeò, vt per Psalmistam affirmet, non sibi, sed Dæmoniis oblatos filios & filias: Cultus igitur eo ipso Idololatricus est, quòd non est præceptus, tametsi ad* DEVM *verum dirigatur.*

c Psal. 118.
d Conc. 13.
e Micheæ. 6.

Psalm. 105.

Vendicatur Micheæ locus ab Heerbrandi corruptela.

BIS hic Heerbrandus affert scripturæ vim; primò cùm fingit, Michæam loqui de iis, qui Deo vero filios spontè obtulerint in holocaustũ aut alio modo. Nihil minùs: sed eius loci sensus est, peccati labẽ et Dei offensam tanti esse põderis, vt seclusa misericordia Dei & Christi sanguine, nullis actionibus, nullis holocaustis quãtumuis maximis, etiãsi filiũ quis offerat, aut immolet, (quod ipsum tamen non licet) expiari possit.

Vt fecit Rex Moab. 4. Reg. 3.

SECVNDO si maximè illic sermo esset de aliquibus, qui cùm Deo spontè filios obtulerint, Deum offenderint, intolerabile tamen prorsus est, quòd Heerbrandus ad tales accommodet illum Psalmi locũ, quo Propheta Idololatriam eorum impiam redarguit, qui filios et filias suas dæmonibus mactauerunt. Quid enim luculentius esse potest, illa eiusdem Prophetæ oratione, quæ proximè antecedit; Et commisti sunt inquit, inter gentes, & didicerunt opera eorum, & seruierunt sculptilibus eorum, & factum est illis in scandalum, & immolauerunt filios suos & filias suas Dæmonis: Sequitur;

Deprauat Heerbrãd⁹ etiam Psalmistæ locũ.

Psalm. 105.

quitur; Et effuderunt sanguinem innocentem, sanguinem filiorum suorũ & filiarum suarum, quas sacrificauerunt sculptilibus Chanaan.] *Nemo tam cæcus est, qui nõ videat, hîc notari à Propheta impiam & acerbam Israëlitarum vanitatem, qui vt aliàs etiam scriptura*[a] *commemorat, hoc à*[b] *gentilibus didicerunt, vt religionis erga verum Deum, & humanitatis obliti, proprios liberos falsis gentium Diis profano ritu libarent. Et tamen audet noster antipropheta Idololatriam hanc sic interpretari, vt non hîc memorentur, qui sculptilibus Chanaan, sicut Regius Propheta dicit, sed qui vero Deo filios immolarint.*

a 4.Reg.16. 2.Paral.28. Isai.57.
b Deut.12.

CÆTERVM *nullum scripturæ locum libentius Heerbrandus & collegæ, vt cultum Dei voluntarium oppugnent, vrgere solent, quàm illum, in quo sic legitur: Quod præcipio tibi, hoc tantùm facito Domino, nec addas quicquam nec minuas.*] *Quàm sibi diligenter isti cauent, ne quicquam huic auctoritati aut detrahant, aut ex præcedentibus addant, ne mox suam, in hoc testi-*

Conc.16.
Deut.12.

monio citando, vanitatem prodant. Dixerat enim Moyses: Quando disperdiderit Dominus ante faciem tuam gentes, ad quas ingredieris possidendas, & possederis eas, atque habitaueris in terra eorum, caue ne imiteris eas, postquam te fuerint introeunte subuersæ, et requiras cæremonias earum, dicens: sicut coluerunt gentes istæ Deos suos, ita & ego colam. Non facies similiter Domino Deo tuo. Omnes enim abominationes, quas auersatur Dominus, fecerunt Diis suis, offerentes filios & filias, & comburentes igni.] *Tum sequitur, Quod præcipio tibi, tantùm facito Domino, neque addas quicquam, nec minuas.*] *Nonne contextus ipse per se indicat, tãtùm caueri hoc loco, ne gentium impia sacra & cæremoniæ, ad Dei cultum transferantur, néue quid fiat quod repugnet legi diuinæ?*

Ibidem.

Nihil mins Deum generatim iussisse, quàm vt ea tantùm, quæ ipse pcipit, vsurpemus ad cultum.

SANE *vouendi religio, cultus spontaneus est, & tamen adeò illic non prohibetur, vt ratio etiam præscribatur, quemadmodum vota exoluenda Deo sint. Non poteris inquit Moyses, comedere in oppidis*

Ibidem.

tuis

tuis decimam frumenti & vini & olei tui, primogenita armentorum & pecorum, & omnia, quæ voueris & sponte offerre volueris; & iterum: Quæ autem sanctificaueris & voueris Domino, tolles, & venies ad locum, quem elegit Dominus, &c.]

QVID quòd alibi longo sermone explicatur Nazaræorum institutum, qui se sponte absque vllo præcepto, Domino consecrabant? Vir, inquit Moyses, *siue mulier, cùm fecerint votum, vt sanctificentur, & se voluerint Domino consecrare, à vino & omni, q̃d inebriare potest, abstinebunt etc.*] Satis profectò hinc apparet, quod & ex locis[a] aliis est perspicuum, spontanea iustorum vota esse Deo[b] placabilia, ac proinde stolidum aduersariorum figmentum esse, voluntarium cultum hoc ipso vitiosum esse, & displicere Deo, quòd præceptus non sit. Numer. 6. a 1. Para. 29. Psal 49. Eccles. 5. Isai. 19. Ionæ 1. b Prou. 15.

DICENT fortasse, vota verbis illis præcipi: *Vouete & reddite Domino Deo vestro,*] nam & solent isti contra scripturas delirare, quicquid homo facere bene potest, hoc totum ex præcepto illum facere debere, Psal. 75.

neque vllum esse consilium. Si ita est, examinet se Heerbrandus & videat, vtrùm per inchoatam saltem & mancam illam suam legis obedientiam, adimpleuerit vnquam id vouendi præceptum. Quod si non fecit, in peccato, contra conscientiam violatæ legis, (vt isti loqui solent) hærebit, ac proinde, iuxta ipsorum doctrinam, & fide & gratia carebit, & Hellbrand erit.

SALTEM *inquient, votorum in scripturis, si non præceptum, mentionem tamen commendationemq́ habemus; aliorum cultuum, quos Catholici vsurpant, non habemus. Quæro qua ratione in scripturis commēdari debeat cultus, vel actio aliqua, vt rectè fiat: Expreßéne & speciatim? Quis hoc sanæ mentis requirat? Sic certè in hominum vita vix aliquid rectè geri posset. Quàm multa enim neceßariò facienda sunt, de quibus ne iota quidem expreßè in scripturis reperitur? Et quis aduersariis credat, in illa vel tenui religionis & cultus vmbra, quam vix retinent, nullam cæremoniam, actionem nullam adhiberi,*

Qua ratione satis fuerit aliquid in scriptura cōmendari vt rectè fiat.

beri, quæ expreſſe non ſit in ſcripturis determinata. Quòd ſi ſatis eſt, aliquid tacitè ac generatim in ſcriptura contineri, nihil profectò eſt in Eccleſiæ Catholicæ cultu, quod ſcripturarum commẽdatione careat: etiamſi aliud non haberemus, quàm quòd Eccleſia eſt columna & firmamentum veritatis. Scripturarum à nobis, inquit præclarè Auguſtinus, tenetur veritas, cùm hoc facimus, quod vniuerſæ iam placuit Eccleſiæ, quam ipſarum ſcripturarum commendat auctoritas, vt, quoniam ſancta ſcriptura fallere non poteſt, quiſquis falli metuit obſcuritate quæſtionis, eandem Eccleſiam de illa conſulat, quam ſine vlla ambiguitate, ſancta ſcriptura demonſtrat.]

1.Tim.3.
Li.1. contra Creſconiũ Grammaticum cap 23.

AT Eccleſiam hanc apud ſe dicunt eſſe aduerſarij. Non eſt modò locus redarguendi hoc commentum, ſicut nec diſſerendi de craſſa illa eorundem hallucinatione, qua verbum Dei ſolis characteribus incluſum eſſe putant, nec niſi per literas docere Eccleſiam poſſe. De cultu tantùm non præcepto iam agimus. Quem vt blaſphemare

I 5 tan-

Quisnã cultus non præceptus illicitus sit, & qs licitus.

tandem desinat Heerbrandus, aduertat pter iam dicta, longè aliud esse, cultum aliquem tantùm non esse præceptũ, aliud, vsq; adeò non esse præceptũ, vt etiam alicui præcepto repugnet: Qui cultus hoc posteriori modo dicitur in scriptura non præceptus, is duntaxat illicitus est. Cuius generis illa abstinentia fuit, quam Apostolus peruersè ab Heerbrãdo intellectus, damnat in illis, qui vel cæremonia Iudaica, vel nescio, ex qua superstitione & reuerentia erga Angelos, tanquam erga numina quædam, à cibis abstinebant, vt ex toto eius loci contextu apparet. Eiusdem generis & ille cultus est, de quo Christus ait, sine causa colunt me, docentes doctrinas & mandata hominũ,] &, Omnis plantatio, quam nõ plantauit pater meus, eradicabitur.] Agit enim de illo genere, quod eodem in loco sic reprehenderat. Quare vos transgredimini mãdatum Dei propter traditionem vestram?]

Colos. 2. Huius superstitionis meminit Clemens Alexã. li. 3. stromatũ paulò ante mediũ & Tertul. li. 5. contra Marcionem sub finem. Matth. 15. Ioan. 15.

NEQVE *à Scripturæ phrasi alienum est, vt id simpliciter dicatur nõ esse ex præcepto aut ex virtute aliqua factũ, quod etiã*

est

est contra præceptum vel virtutẽ. Sic enim aliqui rectè interpretantur illud: Omne quod non est ex fide, peccatum est,] id est, quod vsq; adeò non est ex fide, vt sit etiam ex infidelitate, atque adeò fidei repugnet. Similis illius quoque sententiæ vis est: Qui ex Deo est, verba Dei audit, propterea vos non auditis, quia ex Deo non estis,] & passim aliarum. Sed et familiari sermone, cùm peccatum ab aliquo manifestum, contra legem Dei admissum, obiurgare leniùs volumus, dicere solemus, non docuit hoc vtique te lex diuina; nequaquam secundùm charitatem fecisti. Hanc igitur dicẽdi phrasim Heerbrandus in scripturis diligenter obseruet, vt sciat, quẽ cultum non præceptum damnare poßit, quem verò minimè. Tum fortè videbit, se supra modum cæcutire, cùm cultus Ecclesiæ voluntarij, Idololatria ipsi apparent.

Rom. 14. Ioan. 8. Deuter. 17. Vt adorent omnem militiam cœli, quæ nõ præcepi, &c. ca. 18. propheta autem, qui arrogantia deprauatus voluerit loqui in nomine meo, quæ ego nõ præcepi illi vt diceret, aut ex nomine alienorũ Deorũ interficietur.

POSTREMVM *genus restat earum actionum, quas eadem nota hic Tubingensis affecit: nimirum quicquid geritur ad satisfaciendum pro peccatis, & promerendam*

dam vitam æternam. Quis vnquam vel per febrim somniasset, futurum aliquando non dicam Theologum, sed hominem omnino aliquẽ ita rudẽ, vt necesse sit illi probare, hoc non esse Idololatriam? Atqui Heerbrandus inuentus est, qui huiusmodi probatione indigeat. Doceamus igitur illum etiam non valde subtiliter, & paucis, vt poßit capere, præsertim cùm locus hic sit communis, sæpe aliâs defensus. Quod peccatum non est, Idololatria esse nullo modo potest: studium [a] satisfaciendi pro pœna peccatis, quoad culpam remißis, debita, itemq́; [b] promerendi vitam æternam, atq; adeò fiducia [c] suo gradu in huiusmodi, peccatum non est, cùm in scripturis commendetur nobis: Non est igitur vllo modo Idololatria. Nam quid ego ex germana Idololatriæ definitione probem, genus hoc non esse propriè Idololatriam? Potéstne quisquam tam delirus esse, vt existimet, operibus nos habere honorem diuinum, quòd illis vitam æternam promereri & pro pœna satisfacere velimus? Nihil profectò fingi potest,

Studium satisfaciendi pro peccatis & promerẽdi vitã æternã nihil habere cũ Idololatria cõmune.

a Iohel.2. Daniel.4. Matth.3. Luc.3.&11. Rom.6.&c.

b Sapien.3. & 10. Matth. 5. & 20. 2.Cor.4. 1.Tim.4. Heb.13.etc.

c Philip.2. 2.Petr.1. 1.Ioan.3.

potest, quòd à diuinitate per se atq; adeò ab honore ipsi debito magis alienum sit, quàm satisfactionis ratio & meriti. Hæc enim ad Deum, tanquam ad superiorem referuntur, cui satisfaciendum est, apud quem promerendum; diuinitate nihil est sublimius, ad quod illa referri possit. Proinde diuinum nihil operibus iustorum attribuimus, cùm in illis satisfaciendi & promerẽdi virtutem inesse arbitramur.

At enim cùm Esaias clamat; Repleta est terra idolis, de operibus Pharisæorum loquitur, ait Heerbrandus, in quibus illi fiduciam collocabant suam, sicut Christus alicubi dicit. Agit enim Propheta de tempore aduentus Messiæ, quo Iudæos constat nulla alterius generis idola coluisse. Primùm, Pharisæorum fiduciam vanam & opera, neq; probat Ecclesia, neq; imitatur. Deinde ne hanc quidem Pharisæorum arrogãtiam à Propheta eo loco tanquam Idololatriam notari, perspicuum est. Nam declarans ille quanam Idololatria terrã idolis compleuerit, è vestigio subiungit: Opus Conc. 15. Isai. 2. Lucæ 18.

ma

manuum suarum adorauerunt, quod fecerunt digiti eorum, & incuruauit se homo & humiliatus est vir.] Habétne quidquam cum pharisaica elatione commune, vilitas hæc & abiectio animi, quam in veris idololatris exagitat hoc loco Propheta? Et quis præter Heerbrandū adeò desipiat, vt idola, quæ manuum & digitorum opificium hîc dicuntur, superbiam, non digitorum, sed animi peccatum, interpretetur?

Quomodo intelligēdus locus Isaiæ: Repleta est terra idolis.

LONGE profectò veriùs hic Prophetæ locus in glossa, quam interlinearem appellant, ad cæcam veræ Idololatriæ impietatem accommodatur, quæ Dei gloriam in creaturam transfert. Hæc enim illic non minùs eleganter quàm breuiter interposita sententia est: *Admirabilis dementia; Quid melius est, quod factum est, an qui fecit?]* Quamuis igitur Propheta eo loco multa pronuntiet de Messiæ tempore, quando apud Iudæos non viguit Idololatria; quod inserit tamen, terram repletam idolis fuisse, quæ pro Deo adorarentur, ad tempus illud pertinet, quo ante captiuitatem Babylonicam,

lonicam, præsertim regnante Manasse, frequētissima fuit apud illum populum Idololatria; sicut & antè in Aegypto, & Iudicum temporibus. Quæ interpretatio præterquā quòd, Hieronymi testimonio, multorum est, cum ipso planè textu congruit, vt rectè Nicolaus de Lyra annotauit. In Commētariis super illum locū.

HACTENVS *Heerbrandi fraudes & diuinæ scripturæ corruptelas bene multas deteximus, quibus ille definitionem Idololatriæ suam astruere conatus est, vt probaret dogma Caluini, in priori disputatione nostra refutatum; Videlicet Idololatriam olim commissam esse, etiam in cultu, qui non creaturæ, sed creatori exhiberetur. Ita enim homines pertinacissimi maledictis & calumniis assueuerunt, vt, cùm sentire incipiant, stolidè se nobis obiecisse, quòd creaturis diuinos honores tanquam Diis adhibeamus, artificium excogitent, quo possint aliquo colore nos in eo etiam, quòd vero* DEO *cultum tribuimus, Idololatriæ accusare. Phantasma inanissimum, quod non modò cum scripturis diuinis, vt hacte-* Lib. 1. instit. cap. 11. Cap. 1.

hactenus ostensum est, euidenter pugnat, sed etiam à communi hominum sensu penitus abhorret; qui veram Idololatriam non aliud peccatum esse audiuerunt, nisi quod
Psal. 105. Rom. 1. Sapi. 14. & aliâs vbi suprà.
Prophetæ, quod Apostoli declarant, nimirum mutare gloriam Dei in idola, siue Deos alienos, & seruire potiùs creaturæ, quàm creatori, atque adeò honorem diuinum creaturæ tanquam DEO *deferre; Quod appositè Hieremias dixit esse, mutare Deum, hoc est, eo animo (quod ad cultum attinet) esse erga creaturam, quo erga verum Deum esse oportet.*

Conç. 16. & 17.
SED *ait Heerbrandus, idololatras etsi cultum dirigant ad verum Deum, ideo tamen in scripturis dici venerari Deos alienos, quia non est verus Deus, qui cultibus humana industria excogitatis coli velit, sed idolum est & cordis humani figmentum, quod nusquam extat, sicut Apostolus pronunciat, scimus, quia nihil est idolum in mundo.*]
1. Cor. 8.

FICTITIVM *hoc Heerbrandi commentum esse, facilè apparebit, si repetamus*

ea breuiter, quæ in ſcriptura veris Idololatris tribuuntur. Dicuntur igitur illi ſeruire[a] *creaturæ potiùs quàm creatori: commutare*[b] *cum idolo Deum, eiusq; in illud gloriam transferre: ciſternas diſsipatas*[c] *fodere; lapidibus &*[d] *lignis imponere incommutabile nomen: colere omnem*[e] *militiam cœli: adorare*[f] *opera manuũ hominum, quæ oculos habeant*[g] *& non videant: confidere in*[h] *ſculptili: prouocare*[i] *in ſimulachris ad æmulationẽ Deum, quippe qui indignè ferat aliquid præter*[k] *ſe coli pro Deo: ambulare*[l] *poſt Deos alienos gentium; & ſacrificare*[m] *illis, qui omnes dicuntur*[n] *Dæmonia. Hæc & alia huius generis plurima, nunquam mihi perſuadebit Heerbrandus eum committere, qui cultum quidem recta animi intentione ad Deum refert, ſed hoc ſolum peccat, quòd aliter de Deo ſentit, quàm par eſt, exiſtimans, cultũ aliquem ipſi placere, qui non ſit ei gratus.*

a Rom. 1.
1. Cor. 5. & 6. Galat. 4.
b Pſal. 105.
c Ieremi. 2.
d Sapi. 14.
e 4. Reg. 21. & 2. Paral. 33.
f Iſai. 2. Pſalm. 96.
g Pſal. 113.
h Iſai. 42.
i Pſalm. 77. Deuter. 32.
k Exod. 20. Deuter. 5. Iſai. 42.
l Ieremi. 7. & 13.
m 2. Paral. 34. & Ierẽ. 44.
n Pſalm. 95.

SI nihil aliud haberemus, quàm quòd Hieremias Propheta cenſet, per Idololatriam commutari Deum cum creaturis, Cap. 2.

nonne hoc ſatis declararet, animum iſtiuſmodi vitio penitus auerti à Deo vero, & ad falſum, id eſt, ad creaturam tanquam in Deum conuerti? Si mutauit inquit, gens Deos ſuos; & certè ipſi non ſunt Dij. Populus autem meus mutauit gloriam ſuã in idolum.] *Neque obſcurum eſt, quod ſequitur: Obſtupeſcite cœli ſuper hoc; Duo mala fecit populus meus; & dereliquerunt me fontem aquæ viuæ, & foderunt ſibi ciſternas diſſipatas, quæ continere non valent aquam.*] *Non potuit planiùs docere, in Idololatria non illud ſolùm ineſſe mali, quòd animus prauè ſe gerat erga ipſum Deum verum (ſiue ob falſam exiſtimationem, vt Heerbrandus ait, ſiue alio modo) ſed id præterea, quòd ad imbecillem ac fragilem creaturam, vt ad Deum, infeliciter conuertitur. Quod ipſum pòſt luculento illuſtrat ſimili, ducto ex muliere, quæ recedens à viro ſuo, nubit alteri.*

Idololatriã duo cõtinere ſcilicet auerſionẽ à vero Deo, & conuerſionẽ ad creaturã tanquam in Deum: Proinde nõ poſſe habere ꝓ ſcopo verũ Deũ, vt hæretici volũt.

Cap. 3. 1. Cor. 8.

SED & *Apoſtolus, quando ait; ſcimus, quia nihil eſt idolum in mundo,*] *apertè declarat, Idololatriam verſari circa creaturam*

turam tanquam Deum. Sensus namque est, idolum, siue aliæ creaturæ, quæ adorantur pro DEO, *nihil omnino tale sunt, quale falsò putantur, hoc est, nõ sunt Deus. Cum hoc enim sensu planè cohæret ratio, qua id confirmat Apostolus, subiiciens: Et quòd nullus est Deus, nisi vnus.*] *Quasi dicat, cùm Deus nõ sit, nisi vnus, fieri nequit, vt idola, quæ putantur Dij, Deus sint; siquidẽ illa sunt plura. Quam rationem deducit ibidem latiùs, tandem concludens: Nobis autem vnus est Deus pater &c.*] *Similis dicendi phrasis est illa Esaiæ: Ecce vos estis ex nihilo, & opus vestrum, id est idola, ex eo, quod non est.*] *Et illa item Hieremiæ: Confusus est omnis artifex in sculptili, quia falsum est, quod conflauit, & non est Spiritus in eo.*] *Id est Spiritu diuino non viget, vt cæci Idololatræ putabant.*

Quomodo intelligendũ illud: Nihil est idolũ in mundo.

Cap. 41.

Cap. 10.

IDOLVM *igitur vanum Heerbrandus ex suo cerebro fabricauit, cùm nugatur, idolum, de quo Apostolus illic loquitur, esse cogitationem falsam de vero* DEO, *circa cultum, quo sit afficiendus. Certè cùm idẽ*

1. Thes. 1. *Apostolus scribit, Thessalonicenses per Euangelium conuersos fuisse ad Deum à simulachris, seruire Deo viuo & vero;] manifestè declarat, illos è contrario priùs à Deo vero & viuo auersos fuisse, & conuersos ad idola, tanquam ad Deos falsos & mortuos. Proindecùm aliâs dicit; scimus, quia nihil est idolum, nequaquam loquitur de vero Deo, vt non est talis, qualis falsò cogitatur (sicut Heerbrandus vult) sed de simulachro, vt est falsus Deus, et nihil tale, quale putatur, sicut nos exposuimus, et ipse quoque Apostolus ad Thessalonicenses interpretatur.*

Quæst. 29. super Iosue. SCIO *verò, non ineleganter ab Augustino cogitationes falsas de Deo, idola & Deos alienos, per tropum dictas esse. Nam et hoc ipsum in priori mea disputatione ipse* Sub finem. *retuli. Sed cùm de vera ac propria Idololatria agitur, ineptissimum est, rationem illius ex iis rebus velle petere, quæ non nisi per tropum idola, vel Dij alieni dicuntur, atque adeò Idololatriæ veræ scopus siue obiectum esse non possunt. Verùm, quid isti*

malitio-

malitiosè agant, quando Idololatriam circa Deum verum versari fingunt, paulò antè indicatum est.

DE FACILI QVADAM, ET CERTISSIMA REGVLA, QVÆ EX VERA IDOLOLATRIÆ definitione sumi potest, ad discernẽdum quouis in casu, vtrùm Idololatria committatur, nécne.

CAPVT III.

DISPVLIMVS *hactenus, scripturarum luce, tenebras, quas Heerbrandus definitioni Idololatriæ à nobis traditæ, tum falsa definitione sua, tũ multiplici Scripturæ diuinæ deprauatione offundere conatus est; Proximum est, vt eam definitionem eiusq; partes exponamus, quò euidentiùs constet, Idololatriam à Catholica Ecclesia in nullo penitus admitti cultu. Quoniam igitur Idololatriam esse defini-*

Ex duobus cõstare Idololatrię peccatum. *uimus, diuinum honorem creaturæ, vti Deo, adhibere, omnino duo necesse est concurrãt, vt Idololatria committatur: Vnum est, vt honor, qui vsurpatur, sit diuinus: Alterum, vt creaturæ ille tribuatur verè, sicut esset tribuendus Deo. Proinde vtroq; istorum concurrente, vera Idololatria erit; alterutro, vel vtroque deficiente, non erit. Atq; hanc quidem sententiam, cùm perspicua & certa sit, & ex verissima Idololatriæ definitione, hactenus diuinis literis confirmata, nascatur, meritò in altera disputa-*
Cap. 1. *tione dixi, & nunc etiam affirmauero, regulam esse ad Idololatriæ peccatum discernendum, aptissimam. Ita prorsus, vt in illam verissimè cadat scripturarum illa com-*
Cõc.7.& 8. *mendatio, quã Heerbrandus hîc perperam opposuit, tanquam non esset hæc nostra regula diuino verbo consentanea. Est multò maximè: nullum vt pronunciatum sit, in quod, hoc quidem tempore, veriùs oratio*
Galat. 6. *illa Apostoli conueniat: Quicunque hanc regulam secuti fuerint, pax super illos;] hoc est, (vt ad aduersarios sententiã hanc accõmode-*

modemus) quies atque vacatio ab iniquissimis & hostilibus maledictis in Ecclesiam Catholicam, quasi foueret illa scelus, quod maximè execratur, Idololatriæ.

VERVM *erit certior atq; facilior eius regulæ vsus, si aperuerimus primùm, quid nã honor diuinus sit, et vnde discernendus. Deinde quisnã verè illũ creaturæ tribuat, sicut esset tribuendus Deo. Nam etsi hæc Heerbrãdum minimè intellecturum, verè (vt ipsemet in disputatione sua fatetur) antea diuinauerim, & nunc etiã mihi de illius acumine pollicear; spero tamen, non defuturos, qui rem planissimam intelligant.* Conc. 5. In disputat. cap. 1.

IGITVR, *vt honor, generatim loquendo, testimonium excellentiæ est, quod scilicet continetur verbis aut factis, quæ de excellentia alicuius conuenientem illi opinionem gignant: sic honor diuinus, vt in priori quoque disputatione dixi, erit, quicquid verborum aut officiorum omnino accommodatum est ad gignendã existimationem eiusmodi, quæ in diuinam maiestatem propriè conueniat.* Quid honor diuinus. Cap. 1.

Lib.8. Ethi. cap.8. Vt Tobi.11. Eccles.43. Isai. 24. Ezech.39. Daniel.3. Aggæi 1. Matth.9. Luc.2.&23. Actor.11. Rom.15.& apud Psalmistã passim. Psal.26.& 49.& aliâs.

HOC non solùm ex verissima doctrina Philosophi, quam omnes sano iudicio præditi receperunt, sed etiam ex diuinis literis apparet, in quibus ideo glorificatio & honoratio Dei cum eiusdem laudatione, & amplissimarum eius virtutum enarratione passim coniungitur, quia nimirum omnis honor & cultus Deo exhibitus eò pertinet, vt illius bonitas maiestasq; mortalibus innotescat, & supremo loco habeatur. Atq; hæc causa est, cur ipse Deus sacrificio laudis præcipuè se honorari significat; quia nimirum accommodatissimum illud est ad finem diuini honoris, nempe vt diuitiæ bonitatis Dei, hominibus notæ fiant; quod ipsum meta est atq; scopus, omnium operum Dei mirabilium.

Rom.9. Ephes.3. Phil.1.&c.

QVÆ doctrina, cùm in sacris libris passim obuia sit, prodit suam in scripturis infantiam, & simul in loquendo temeritatem Heerbrandus, qui interpretationem hanc nostram diuini honoris, impiam, profanam, & omnis Idololatriæ matrem esse dixit. Sed causam audiamus: Honor enim diuinus

Conc. 29. Conc. 30.

diuinus inquit, in Theologia vera, non hominum opinione, testificatione, aut iudicio æstimandus est, quoniam intellectus humanus in his, quæ ad Deum, eius essentiam, voluntatẽ, honorem & cultum pertinent, planè est cæcus. Cuncta enim cordis cogitatio intenta est ad malum (quàm procul saltat extra chorum) & animalis homo non percipit ea, quæ sunt Dei. Stultitia enim est illi, & nõ potest intelligere, sed euanuerunt in cogitationibus suis, & obscuratum est cor eorum insipiens.]

HOC *ipsum ego planè de cogitationibus, Heerbrande, tuis & corde insipienti verissimè pronuntiare possum. Vbinam habuisti oculos, vt non videres, honorem diuinum me non ad existimationem de Deo vanam, insipientium hominum, sed ad veram, certam, fidei consentaneã, & dignam Deo, tanquam ad scopum siue obiectum retulisse? An obscura fuerunt illa mea verba? Quicquid accommodatè gerimus ad excitandam opinionem (vocabulo hoc generatim pro existimatione sum vsus) quæ* In disputat. cap. 1.

in diuinam maiestatem propriè conueniat, id totum hoc loco cultum honorémue diuinum censemus.] *Sanè vt verba hæc nequaquam obscura, sed clara fuerunt; sic mihi, Heerbrande, videris obscuratum, vt dixi, habere cor, quòd illa non aduerteris, & insipiens, quòd tam crassè oppugnare ausus fueris, quæ non intelligis.*

Est igitur (vt eò, vnde nos deduxit Heerbrandi ignorantia, redeamus) existimatio vera de Dei maiestate, quidam quasi fœtus diuini honoris. Quo fit, vt interdum existimatio hæc à causa sua mutuetur vocabulum, & honor Dei nominetur. Quanquam propriè gloria Dei potiùs dicenda est; quod non ex scripturæ solùm [a] *phrasi colligitur, sed etiam ex ipsa ratione nominis apparet. Nam vt* [b] *D. Augustinus notauit, clarissimi latinæ linguæ auctores definierunt, gloriam esse frequentem de aliquo famam cum laude. Vnde &* [c] *Apostolus per antithesim opposuit ignobilitati gloriam: per gloriam inquit, & ignobilitatem, &c. quòd ignobilitas existimatio de aliquo obscura*

a Vbicunque pro eodē accipitur glorificare Deū, siue dare gloriam Deo, et testificari ipsius bonitatem, vt Psal. 21. & 85. Tob. 11. Ioan. 9. Act. 11. &c.
b Trac. 100. in Ioan. & lib. 83. qq. q. 31.
c 2. Cor. 6.

scura sit, gloria verò opinio clara. Quare & quòd asserimus, diuinum honorem conciliare Deo conuenientem existimationem, tantundem valet, ac si diceremus, eo ipso honore conciliari gloriam Deo. Atq; hanc esse causam arbitramur, cur adhibere Deo cultum honoremq́;, munus sit proprium religionis, quæ virtus est, pro scopo atq; obiecto habens Dei gloriam. Loquor de gloria Dei propriè. Nam solet aliàs sæpe ipsa perfectio atque absolutio virtutum Dei, nominari ipsius gloria, quia nimirum existimationem atque adeò gloriam maximam iure sibi vendicat. Quæ prodérit annotâsse, ne varius horum vocabulorum vsus, obscuritatem huic doctrinæ afferat. Vt ad Rō 9. Ephe. 1. &c.

IAM *officium aliquòd ad honorem diuinum pertinere, hoc est, propriè accommodatum esse ad conciliandam existimationem & gloriam Deo, aliqua ratione ex tribus discerni potest. Primò si suapte natura & conditione adeò præclarum sit, vt quis, ratione ipsa naturali docente, iudicet, solum Deū tali officio dignum esse, neq; sine* Tres notæ ad discernēdum vtrúmne officium honoris aliquod sit ꝓpriè diuinū. Prima nota.

per-

peruersitate illud ad creaturam honorandam conferri posse: Cuius generis esse, dixi in altera disputatione, diuinum Missæ sacrificium, in quo diuina persona religiosè offertur (quod, qua ratione oppugnet Heerbrandus, suo loco videbimus) & illud item spirituale, quo mens ipsa deuouetur. Addo etiam omnis generis orationem, quæ laudes contineat diuinitatis proprias.

Secũda nota diuini honoris.

SECVNDO, *si communis consuetudo & quasi ius gentium, aut alia lex accommodaret honoris aliquod officium Deo soli. Sic olim non solùm diuina lege, sed etiam communi populorum*[a] *consuetudine fiebat, vt nemini, præterquam Deo, sacrificare fas esset. Quæ sanè consuetudo quatenus sacrificia Deo, generali mentis conceptu apprehenso, accommodabat, ne in ipsis quidem Ethnicis culpabilis erat, vt rectè D. Augustin⁹ notauit, sed vim potiùs legis habebat, ex qua genus id honoris fieret propriè diuinum. Quanquam, vt idem Augustinus ait, hoc Ethnici prauè committebant, quòd sacrificia exhibebant creaturis, hoc est, dæmo-*

Exod. 22. a Vide D. August. lib. 10. de Ciuitate Dei cap. 4.

Lib. 20. contra Faustum Manich. ca. 18. & epist. 49. & q. 3. ad Deo gratias.

Eodẽ loco.

dæmoniis, sicut Apostolus ait, quæ verè nonerant Deus. Itaque ritus & consuetudo illorum ex hac parte cõsiderata, impia fuit. Sed cùm dicimus, ex consuetudine, quasi ex lege quadam, diuinum effici posse genus aliquod honoris, nequaquam vim aliquam consuetudini attribuimus, qua parte mala est. Sicut neque ideo consuetudines quascunque approbare volumus; cùm non ignoremus, plurima vitia consuetudine praua solere confirmari. Tantùm hoc ponimus, sicut hominum diuersæ conditionis honores consuetudinibus, veluti quibusdam legibus, definiuntur, discernunturque; quod Augustinus alicubi approbat; ita diuini quoque genus honoris, discerni posse communi consuetudine ea ratione considerata, qua nihil peruersi contineat, vt antè explicatum est. Quod cùm planum atque expeditum sit, toto cœlo aberrauit Heerbrandus, cùm huic doctrinæ putauit aduersari patrum sententias, quas ille contra prauas consuetudines frustra, nihil repugnantibus nobis, collegit.

1. Cor. 10.

Qua ratiõe ritus sacrificandi gentilium impius fuerit.

Lib. 2. de doctrina Christiana c. 25.

Conc. 32. & 88. & 89. & in appẽdice disputatiõis suæ.

Tertia nota ad discernendum, qui honor sit diuinus.

ACCIDIT *postremò, vt honor aliquis sit diuinus, ob animi intentionem: Si is nimirum, qui officium honorificum vsurpat, vult de persona, quam honorat, excitare existimationẽ eiusmodi, quæ in solam Dei maiestatem conueniat. Nam vt ea intentione officium quasi induitur, nefas est ad alium illud, præterquam ad Deum honorandum, adhibere. Qua quidem ratione etiam illa honoris officia, quæ indifferenter & ad Deum, & ad creaturas referri solẽt, diuina fieri possunt.*

Ad rectum Dei cultum nõ satis esse, diuinum honorem vsurpare.

CVM *ergo ex his tribus notis aliqua, vel aliquæ, aut etiã omnes illæ, in officio honoris aliquo cernentur, tum id officium censebitur diuinus honor. Non dico, futurum eo ipso, vt officium id omni ex parte rectum sit & gratum Deo; Nam posset nihilominus ex aliqua circũstantia praua reddi vitiosum. Neque enim dignitas officij, neque lex, aut consuetudo communis, qua illud stabilitum sit, neque bona intentio diuinæ gloriæ sufficit, vt actio sit, sicut esse debet, omnibus numeris absoluta. Illud*

igitur solùm volo, officium honoris aliqua ex his tribus conditionibus, aut etiã omnibus illis effici posse aptam materiam religionis erga Deum, ac proinde diuinum; quod tamen, vt rectè prorsus vsurpetur, & Deo gratum sit, circumstantiis pluribus formãdum ac perficiendum est, sicut etiam materia virtutum aliarum.

STVDEAT *ergo Heerbrandus hoc intelligere, & si assecutus fuerit, accuset crassam ignorantiam suam, quòd cùm eas discernendi honoris diuini notas posuerim, iudicarit, docere me, omnem cultum ex quauis consuetudine, aut bona intentione adhibitum, eo ipso legitimum esse, & Deo placere; proindeq; nullum esse discrimen inter Christianorum, Turcarum, Iudæorum, & Gentilium institutum, modò omnes, se Deum vnum colere profiteantur. Hallucinatus est bonus vir in re non obscura.* Conc. 33. 34. & 35.

NVNC, QVOD SEQVITVR, *videamus, quis nimirum censendus sit diuinum honorem creaturæ tribuere, sicut Deo. Breuiter; Qui illam eiusmodi honore sic afficit,* Quidnam sit creaturæ diuinum honorẽ deferre vt Deo.

vt

vt ex eo velit ipsi prouenire existimationem, quæ in diuinā maiestatem solam conueniat. Itaque voluntatis huius atque intentionis duplex est, diuersa ratione, munus. Nam & per se quoque honorem ipsum (etiamsi alioqui indifferens esset) efficit diuinum, quatenus nefas est, illud tali intentione quasi vestitum, ad creaturam referre, vt antè dictum est; & præterea tāquam manus est & vehiculum, quo is ipse honor, vel ad Deum religiosè, vel ad creaturam, tanquam ad Deum, impiè defertur.

Cap. 1. *HOC in disputatione priori mea Heerbrandus non probauit, vel, vt veriùs dicam, non intellexit. Itaque licet in hoc vel maximè controuersiæ cardo vertatur, ne tamen proderet infantiam suam, verbum nullum de fundamento fecit, quo eam ego doctrinam firmaui in hunc ferè modum. Honorem alicui personæ tum verè impendimus, cùm efficimus, vt sit suus, ea certa ratione, qua in bonis etiam ille alicuius numerari, nec postremo loco solet: Est autem honor hoc ipso alicuius, quòd quantum ex se*

ex se est, existimationem illi affert eam, quã potest iuxta genus proprium excitare: Proinde qui honorem alteri verè impendit, necesse est velit, illi ex honore accedere existimationem, honoris generi consentaneã: Consequenter quando diuinum honorem DEO *tribuimus, eam existimationem ad illum redundare volumus, quam diuinus honor ex suo genere parit, nempe diuinæ duntaxat maiestati congruentem. Cùm ergo quis creaturam diuino honore sic affecerit, vt similiter velit, ad eam redundare hanc diuinam existimationem, tum illi, vt diximus, verè impendit diuinũ honorem, sicut Deo.*

QVÆRAT *Heerbrandus, vbinam hæc legerim in scriptura? Respondebo, vbicunq; significatur, Idololatras, qui diuinũ honorem creaturis dant, conuertere siue mutare gloriã Dei in illas, atq; adeò sic illis adhibere cultũ, vt adhibere Deo deberent: His & similibus scripturæ locis, si modò cũ iudicio & mediocri eruditione legantur, non alia subiecta sententia est, quàm quòd* Locis suprà citatis.

L Idolo-

Idololatræ ipso cultu existimationẽ diuinitatis propriam, vt docuimus, volunt creatura conciliare. Quod cùm Heerbrandus negat, nimirum ostendit, se Theologum esse nõ tantùm simplicem, sed propriè nullum, qui scilicet ignoret, quid cultus, quid honor sit, quid gloria Dei, quomodo in creaturam illa mutetur vel transferatur.

CONSIDERET *iterum, quæso, exemplum illud familiare, quo, vt hæc explicarẽ, in priori disputatione sum vsus, & fortè* Cap. 1. Exemplum. *docebitur. Qui in theatris personam sic agũt, vt coram actore altero diuini cultus cæremonias vsurpent, eiq́; tanquã Deo supplicent, à nemine Idololatræ iudicantur, cùm constet, non illos eiusmodi actione velle opinionem Dei propriam, creaturæ conciliare, sed aliud agere, nempe vt decorum personæ seruent. Hoc igitur euidens argumentum est, voluntatem eam aliquo modo reqri, vt diuini honores creaturæ sicut Deo tribuantur. Itaque si cæremoniam diuini cultus quamcunq́; coram creatura quis exequatur, constet autem nequaquã, illum*

de illa existimationem diuinitatis propriam commouere velle, hic quidem peccare alia ratione potest, verus tamen Idololatra minimè censeri debet. Quare? quia non verè dat creaturæ diuinum honorem, siquidem nulla ratione vult, id quo ad creaturam potuisset is honor pertinere, nempe vt ad illam redundet existimatio, soli Deo conueniens.

DECLARAVI *hoc item in priori disputatione mea altero exemplo, cuius lucem cùm Heerbrandus obscurare non posset, siluit de illo prsus, sicut etiã de eo, quod paulò antè ab his, qui personam agunt, petiui. Exemplum fuit huiusmodi: Quoniam is verus pecuniæ Dominus est, qui suo illam arbitratu licitè vsurpare potest, nemo alicui donat pecuniam, etiamsi in manum illi eam imponat, nisi animo velit, ipsum pro arbitrio illa vti: Sic quoniam, vt probatum est, honor censetur esse alicuius, quatenus ei existimationem per se affert eam, quam iuxta genus suum afferre potest: Idcirco nisi quis aliqua ratione velit ex honore* Cap. 1. Simile.

diuino diuinam existimationem creaturæ prouenire, minimè diuinū honorem creaturæ attribuit, ac proinde nō est Idololatra.

Quadrifariā posse cōtingere, vt quis diuino cultu velit excitare de creatura existimationē quæ in solū Deū cadit.

SED *animaduertendum hoc loco diligenter est, diuersis modis, sicut in priori disputatione monui, posse contingere, vt quis existimationem Deo debitam conciliare velit creaturæ. Primùm, expressa atq; præsenti intentione; quæ summa peruersitas est. Deinde prioris duntaxat intentionis vi; quæ venerationem ipsam creaturæ externā antecederet, non etiam comitaretur. Tertiò tacitè, vt ita dicam, atque implicitè. Quod fieret, si quis vel cupiditate, vel metu, vel consuetudine praua aut aliter occæcatus, generali quadā voluntate statueret, verè attribuere diuinum honorem creaturæ, etiamsi nesciret ipse, aut certè non consideraret, diuinum honorem hoc ipso verè accedere creaturæ, quòd illi existimationem* DEO *debitam conciliat. Addo etiam postremò si de alicuius animo, cùm diuinum cultum vsurpat, adeò nō cōstaret, vt prudenter alij iudicare possent, illum*

illum creaturæ conciliare velle diuinam existimationem. Is enim significationem quodammodo daret, creaturam esse diuina existimatione dignam: quo ipso indirectè (sicut in scholis loquimur) vellet existimationem eiusmodi de creatura commouere, atque adeò diuinum illi honorem quadantenus daret, tametsi non propriè. Cùm autem euidentia inprimis signa atque argumenta declarent, Catholicos nequaquam vllo cultu velle creaturæ diuinitatis opinionem conciliare, vt in altera disputatione ostendimus, & nunc etiam suo loco perspicuè confirmabimus, nemo, nisi stultus aut malitiosus, id illos velle iudicare poterit: Vt planissimum sit, eos neq; hoc postremo modo minus propriè, neque aliquo ex prioribus, idololatras esse.

ET verò, expressa intentione, non ferè tribuent creaturæ diuinum honorem nisi ij qui simul sint infideles, atque adeò creaturam insipienter Dei loco habeant. Quanquam tanta posset esse alicuius malitia, vt quod ipse de creatura non sentit, hoc tamen Quinam soleãt Idololatriam committere expressa volũtate.

expresse velit ab aliis existimari. Sicut dæmon, quamuis intelligat, minimè se Deum esse, vult peruersè tamen ab Idololatris Deus haberi.

Qui tacita atque implicita.

TACITA *verò voluntate, tertio vel quarto modo ex suprà dictis faciliùs fieri potest, vt etsi quis verum Deum agnoscat, & Idololatriæ superstitionem exploratam habeat, incautè tamen illã admittat. Nam*

Rom. 1.

& Apostolus Idololatras dãnat quosdam, qui cùm Deum agnouissent, non sicut Deum glorificauerunt, sed mutauerunt gloriam incorruptibilis Dei in similitudinem imaginis corruptibilis hominis & volucrum & quadrupedum, & serpentum, & coluerunt & seruierunt creaturæ potiùs quàm creatori.] Sic Seneca non tam veri Dei ignoratione, quàm praua populi consuetudine in Idololatriam inductus fuisse videtur, vt

Lib. 6. de ciui. Dei c. 10.

illa eiusdem apud Augustinum sententia, de Deorum religione, declarat. Ita inquit, adorabimus, vt meminerimus, huiusmodi cultum magis ad morem quàm ad rem pertinere.] Lactantius item Ciceronem his

Li 2. de origine erroris cap. 3.

verbis

verbis carpit: Video te terrena & manufacta venerari, vana esse intelligis, & tamen eadem facis, quæ faciũt ipsi, quos tu stultissimos confiteris.] Similem cæcitatem notauit in Platonicis Augustinus. Li.10. de ciuit. Dei c.1.

IAM vt variis modis contingit, velle diuinam opinionem facere creaturæ, atque ideò dare illi diuinum honorem, sic etiam latè patet hæc ipsa diuina opinio; quòd plurima sint, quæ de Deo solo sentiri possunt. Quare, si eorum aliquid in creaturam competere cultu protesteris; Idololatriam admittes; etiamsi alia pleraque vero DEO tribuas. Sic Ethnici vel ob id Idololatræ fuerunt, quòd officiorum prouincias alias aliis creaturis adscribebant vt Diis, qui supremam rerum prouidentiam inter se diuisam haberent. Quam superstitionem (quicquid tergiuersetur Heerbrãdus) coarguit sapiens, cùm eorum notat stultitiam, qui aut ignem, aut spiritum, aut citatum aërem, aut gyrum stellarum, aut Solem & Lunam, rectores orbis terrarum, Deos putauerũt.] Quorum vanitatem, quàm non

Exiſtimatio, ſoli Deo conueniens, multiplex eſt.

Conc. 50. Sapi.ca.13.

Conc 49 & deinceps. Itẽ 93.& ſeq.

(vt Heerbrandus ludit) imitentur Catholici, cùm Sanctorum patrocinio vtuntur, suo loco docebimus.

NVNC *ad propositum. Qui nullo modo ex antè dictis, hoc est, qui neq; expreßè, neque tacitè, vlla ratione vult existimationem aliquam, Deo debitam, conciliare creaturæ, hunc dixi suprà verum Idololatram non esse, tametsi coram creatura diuinum cultum vsurpet. Atque eadem vis est illius sententiæ, quam aliquoties in altera disputatione repetiui: Si voluntas omnino absit (id est nulla ratione ex dictis contingat) excitandi de creatura opinionem diuinitatis propriam, posse quidem peccari aliter, si exerceatur coram illa diuini cultus cæremonia, Idololatriam tamen non admitti.*] Cap. 1.

QVOD *cùm claris & rationibus & scripturæ testimoniis confirmauerimus, iudicet lector, utrum non stolidißimè scripserit Heerbrandus, stolidam hanc esse doctrinam, putās ea ratione docere nos, quoscunq; cultus esse legitimos, & Deo acceptos,* Conc. 33. & 34.

modò

modò ex bona proficiscantur intentione. Non vidit acutus Theologus & in Apostolica (vt ille ridiculè vocat) Academia Professor; aliud esse, Idololatriam non admitti, si modis omnibus voluntas desit excitandi de creatura diuinam opinionem; quod nos diximus: aliud, eo ipso cultum rectè vsurpari, & omnibus numeris absolutum esse; quod nunquam somniauimus. Notissimum est enim ad actionem in omni genere perfectam, præter intentionem non malam, circumstantias requiri plures, vt etiam suprà monui, cùm hanc ipsam Heerbrandi hallucinationem notarem.

EXPOSVI, *quidnam particulæ eius definitionis contineant, quam ex diuinis literis Idololatriæ conuenire probauimus, hoc est, quid honor diuinus sit, quomodo discernendus, quomodo item quamq; variis modis creaturæ sicut Deo, attribuatur; Vt difficile iam non sit, ad diiudicandum variis in cultibus de Idololatria, regulam illam applicare, quam ex dicta definitione suprà desumpsimus, nimirum Idololatriam* Summa totius capitis.

committi, si & cultus, qui vsurpatur, diuinus est, & creaturæ ille verè tribuitur, sicut Deo: Sin autem alterutrum horum vel vtrumq; omittitur, Idololatriam nõ committi. Nunc reliqua persequamur.

QVALE SIT, ET QVANTVM IDOLOLATRIÆ PECCATVM, ET QVAM LATE pateat, & quibus modis olim ab Ethnicis admissum fuerit, itemque de eiusdem origine.

CAPVT IIII.

Conc. 60. IVDICAVIT *Heerbrandus ad cõtrouersiam præsentem; vtrũ videlicet Ecclesia committat Idololatriam, nécne, omnino nihil attinere hæc, quæ hoc capite explicanda proponimus: sed fallitur, aut potiùs vult fallere. Nam quò magis perspicitur, qualem, quàm apertam, quàm execrandam impietatẽ Idololatria contineat, eò fit istorum calumnia prudentibus & cordatis*

datis hominibus detestabilior, & simul creditu difficilius, sanctam, & Catholicam Ecclesiã, in qua tot viri pietate doctrinaq́ præstantissimi omni tempore fuerunt, eo crimine contaminatam esse. Agnoscere item, eorum, qui veri Idololatræ olim extiterunt, superstitiones à religionis Christianæ cultu maximè abhorrentes, quas Ecclesia damnat, & execratur, & propemodum iam ex orbe profligauit, non potest nõ conferre plurimum ad illius cognoscendam hac in causa innocentiam. Repetam igitur in gratiam lectoris ea, quæ breuiter à me, his de rebus, in altera disputatione dicta, Heerbrandus minimè oppugnauit.

APPARET *ex suprà dictis, Idololatriam, cùm superstitionis species sit, è diametro cum religione pugnare, virtute omniũ secundùm Theologicas, præstantissima. Nam quam gloriam virtus hæc Deo vt creatori ac summo Domino rerũ omnium, vario tum interno, tum externo affert cultu, hanc illi Idololatria eripit, & impiè transfert ad creaturã. Est enim Dei gloria* Idololatriæ vitium religioni esse cõtrarium.

præ-

præclara illa de ipso existimatio, quam Idololatria, vt diximus, per cultum impium
Li.83 qq.q. 31. & tract. 110 in Ioan. *creaturæ conciliat: Nam verissimè D. Augustinus definiuit, gloriam esse, frequentem de aliquo famam cum laude.*

PORRO scelus hoc Idololatriæ esse summum, diuinæ literæ declarant apertissimè. a Exod. 20. Deut. 5. &c. *Nam & illud primo loco grauissimis verbis vetat diuina* [a] *lex, seuera comminatione adhibita, &* [b] *scriptores sacri in hoc vitio vituperando sunt verborũ & sententiarũ pondere vehementissimi. Deniq; illa in sacris literis summa est impietatis exaggeratio, si quod flagitiũ cũ hoc comparetur.* b Psal. 105. Isai. 1. & 44. Iere. 2. & 16. Eze. 6. & 14. Oseæ 8. Amos 2. Michæ. 1. & aliâs &c. Vt 1. Reg. 15.

Idololatriæ prauitas. *SED & ipsa per se huius sceleris natura atque ratio, superiori capite à nobis exposita, insignem peruersitatem ostendit. Qui enim creaturæ diuinum honorem impendit, is, quantum est in se, Deum ex suæ maiestatis solio exturbat, creaturamq; in eo collocat, cùm fieri nequeat, vt Deus honorem suum (quem singularem oportet esse) retineat, si cum creatura ille communicetur.* Cap. 42. *Hinc Dominus per Esaiam: Gloriam*

inquit,

inquit, meam alteri non dabo, & laudem meam sculptilibus.

NVNC *quoniam Idololatriæ ratio & grauitas satis est pspicua, de illius præterea variis generibus dicendum est. Tria omnino in Idololatria considerare possumus: diuinum honorem, qui exhibetur; animum, quo exhibetur; creaturam, cui exhibetur. Ita ex triplici capite diuersa Idololatriæ genera oriri possunt. Primò, ex diuersitate cultus diuini, qui vsurpatur: Secundò ex diuersa dispositione animi eius, qui creaturam diuino cultu prosequitur: Tertiò ex diuersa conditione creaturæ, quæ diuino cultu afficitur.* Quotuplex esse posit Idololatria.

ETSI *verò quæcunq; differentia ex his capitibus orta, materialis sit, ac proinde ad vnam speciem pertineat omnis Idololatria; tamen quia eiuscemodi capita latè patent, non inutiliter distinguuntur Idololatriæ modi, qui ex illis diuersi proficiscuntur. Ergo ex diuersitate honoris diuini, q vsurpatur, tam varij Idololatriæ modi esse possunt, quàm ratio ipsa diuini honoris potest* Prima diuisio Idololatriæ.

esse

esse varia. Quicquid enim religio Deo debet, hoc totum superstitio impia dare potest creaturæ. Vnde & Beda rectissimè dixit, Idololatras nominari eos, qui vota, preces & sacrificia, quæ vni Deo debentur, idolis impendunt.

In commentariis super 4. cap. Lucæ.

Secunda diuisio.

EX diuersa dispositione animi, eius, qui creaturam diuino honore prosequitur, duplex Idololatria distingui solet: Interior vna, quæ aut ex infidelitate procedit, qua putatur creatura esse Deus, aut saltem committitur directa voluntate adhibendi honorem diuinum creaturæ: Exterior altera, quæ non procedit ex eiusmodi infidelitate, voluntatéue directa.

Tertia diuisio, quæ modos Idololatriæ cõtinet ab Ethnicis olim vsitatos.

IAM verò ex diuersa ratione creaturæ, cui exhibetur honor diuinus, hæc Idololatriæ genera manarũt olim. Quidam simulachra varia vel hominum vel pecudum diuinis honoribus affecerũt, quæ credebant esse animata diuinis spiritibus, qui per se valerent & ad nocendum, & ad consulendum multiplici ratione hominibus. Cumq́; ipsi eiusmodi idola per se conficerent, adeò

ab

ab errore nō dimouebantur propterea, vt etiam hominis potestatem admirarentur, stolideq́; prædicarent, quòd is diuinos spiritus cum corporibus colligare, proindeq́; sibi fabricare Deos valeret. Ita dæmones, qui sese in illis imaginibus colēdos exhibebant, miseros artibus nefariis ludificabantur. In qua superstitione Hermetem Trismegistum fuisse, D. Augustinus narrat. Lib. 8. de ciui. Dei c. 23.

FVERVNT *alij, qui & ipsi imaginibus vtebantur, sed ita tamen, vt non ipsas secundùm se, sed creaturas alias, quas illæ referebant, diuino cultu afficerent. Atque hi fuerunt varij. Nam quidam, ex quibus Varro, ad mundum ipsum vel ad varias eiusdem partes accōmodabant simulachra. Namq́; censebant, Deum mentem esse, quæ tanquam forma vel anima mundo colligata, ipsum ratione ac sapientia gubernaret. Itaque, vt homo etsi corpore quoq; constet, tamen sapiens dicitur, non ratione illius, sed ratione animæ: sic illi mundum propter diuinam illam duntaxat animam, ipsi cohærentem, censebant esse Deum.* Teste D. August. li. 7. de ciuitate Dei ca. 6. & 16.

ERGO

Ita refert August. ca. illo 16 lib. 9. de ciuit.

ERGO *hi simulachrum Iouis ad mundum totum, Apollinis ad Solem, Dianæ ad Lunam, Vulcani ad ignem, Neptuni ad aquam, & sic alia ad alias mundi partes significandas referebant. Sic fiebat, vt creaturam pro Deo stultißimè venerarentur. Nam quicquid est quasi pars & forma substantiæ mundi (quod isti diuinam mentem putabant) id totum creatura sit, est necesse. Maximè, quod, vt*[a] *Augustinus sensit, quemadmodum ipse mundus in plures partes diuisus est, sic illi diuinā eiusmodi mentem in plures partes diuidebant; quæ partitio nisi in creaturam cadere non potest.*

a Eodem li. 7. cap. 6.

HIS *adhuc fuerunt alij craßiores, qui simpliciter eos, quos proditum*[b] *est homines fuisse ferè flagitiosos, Saturnum, Iouem &c. per ea simulachra, vt Deos, venerati sunt. Quam vanitatem illi etiam, qui ex Ethnicis fuère sapientiores, pspexerunt. Nam & ideo M. Varro*[c] *aiebat, religionis hunc modum ad Theologiæ genus* μυθικὸν, *id est, fabulosum, pertinere; cùm tamen idem suam illam Theologiam, quæ, vt memora-*

b Vt videre est apud August. li. 8. de ciuit. c. 5. & Lactantium li. 1. de falsa relig. c. 8. & deinceps.

c Apud D. Aug. li. 6. de ciuitat. cap. 5. & 6.

moravimus, mundum ipsum facit DEVM, *naturalem ac physicam appellet.*

IAM *Platonici, etsi vnum esse verum ac summum* DEVM *agnoscerent, aliis tamen praeterea spiritualibus creaturis, quòd* DEO *similiores essent, cultum diuinum tribuebant. In his, primum locum dabant substantiis separatis, quas illi Deos, nos Angelos nominamus: Secundum, cœlestiũ corporum animabus: Tertium daemonibus, quos aërea quaedã esse animalia, opinabantur: Postremum animabus hominum, quas pro vniuscuiusque meritis ad societatem vel Daemonum, vel Deorum post mortem asciscì credebant.*

Vide Platonem in Epinome & in Phaedone & D. Aug. lib. 8 de ciuit. c. 6. & 12. & lib. 10. ca. 1.

POSSEMVS *his adiungere alios non dissimiles religionum errores, quibus, nostra memoria, tum in Oriente, tum in Occidente, per Iesu Christi gratiam, indies liberantur hi populi, qui Christiana sacra suscipiunt. Sed cùm Euangelij luce, secundùm certissimas Prophetarum praedictiones, Idololatriae nox, magna sit iam ex parte depulsa, haec ipsa fortasse, quae de variis*

Esaiae 2. & 19. Ezech. 30 Zach. 13 Sophoniae 2. Qua de re vide Aug. li. de diuinatione daemonum cap. 9. & lib. 1. de consensu Euangel. ca. 19. & lib. 8. de ciuit. cap. 23. vbi refert Hermetẽ id praesensisse.

Idololatriæ generibus attigimus, nimis multa erunt. Nam quòd hæretici etiamnũ huius criminis Ecclesiam accusant, id verò quàm stultè, vel impiè potiùs ac scelaratè, faciant, paulò pòst nullo negotio demonstrabimus.

Quæ fuerit origo Idololatriæ.

NVNC *de Idololatriæ origine breuissimè dicamus. Ea quidem ex parte ipsius hominis fuit partim affectus erga creaturas nimius, partim veri Dei ignoratio cum mentis quadam stupiditate coniuncta, ob quam facilè fieri potuit, vt specie ipsa creaturarum atque decore, tanquam muscipula, vt in libro Sapientiæ est, insipientium animi caperentur.*

Sap. 14.

Ibidem.

ACERBO *luctu inquit Sapiens, dolens pater citò sibi rapti filij fecit imaginem & illum, qui tunc quasi homo mortuus fuerat, nunc tanquam Deum colere cœpit, & constituit inter seruos suos sacra & sacrificia: deinde interueniente tempore, conualescente iniqua consuetudine, hic error, tãquam lex, custoditus est. Et infrà: Hæc fuit vitæ humanæ deceptio, quoniã aut affectui*

aut

aut regibus deseruientes homines, incõmutabile nomen lapidibus & lignis imposuerunt.]

AC *alio rursus in loco: Vani autem sunt omnes homines, in quibus non subest scientia Dei, & de iis, quæ videntur bona, non potuerunt intelligere eum, qui est; neque operibus attendentes, agnouerũt, quis esset artifex, sed aut ignem, aut spiritum, aut citatum aërem, aut gyrum stellarum, aut nimiũm aquam, aut Solem & Lunam rectores orbis terrarum Deos putauerũt. Quorum si specie delectati Deos putauerunt, sciant, quantò iis Dominator eorum speciosior est.*] Sap. 13.

SED *in primis malignitas Dæmonis, huius impietatis origo fuit, qui mira calliditate, dum in simulachris vel per responsa vel per varia facinora cæcos mortales illudit, suam Deo gloriam eripere, sibiq; eam vendicare est conatus. Quo factum, vt omnes Dij gentium tandem fuerint dæmonia. Etsi enim alij alias creaturas diuino honore afficiebant, cùm ab his beneficia se* Vide Lactãtium lib. 2. de Origine erroris. cap. 17. Psalm. 95.

accipere existimabant, tamẽ quia adorare quoq; intendebant id, à quo re ipsa eiuscemodi officia proueniebant, Dæmonẽ etiam hoc ipso omnes venerabantur.

D E *initio porrò Idololatriæ, quod ad tempus ipsum attinet, longum esset dicere: Tractat ista diligenter Lactantius, qui & refert, Melissum Cretensium Regem colendorum Deorum omnino primum auctorem extitisse, hunc illis primò sacrificasse, ac ritus nouos sacrorumq; pompas introduxisse. Idem Romanis, ait, eiusdem superstitionis Sabinum Regem auctorem fuisse. Apud Græcos verò Prometheus primò simulachra de luto finxisse fertur: Item Cecrops Rex, cùm primò bouem immolaret, Iouem inuocauisse. Ninus quoque, tertius Babyloniæ Rex, dicitur primò templum & statuas erexisse Belo parenti.*

Lib. 1. de falsa relig. c. 22. & 23.

Vide Isidorum lib. 8. Etymolog. ca. 11. & Eusebium in Chronicis, circa annũ mũdi 3650. & Berosum in vita Nini Regis Babyloniæ.

Sed de his quidem hactenus.

CVL-

CVLTVM IN ECCLESIA CATHOLICA SANCTE VSVRPATVM, AB IDOLOLATRIÆ ratione ſuperiùs tradita, & confirmata Ethnicorum exemplo, longiſſimè abeſſe: Quod primùm in adoratione ſacroſanctæ Euchariſtiæ demonſtratur.

CAPVT V.

DISPVTATIONEM *noſtram initio, vt ad Heerbrandi captum illã accommodaremus, hoc ſyllogiſmo concluſimꝰ: Idololatria eſt, diuinum honorem creaturæ conferre ſicut Deo: Hoc autem non faciunt Catholici, cùm ſacroſanctã Euchariſtiam, Sanctos, ſacras imagines & reliquias venerantur: Nequaquam igitur ſunt, vt hæretici mentiuntur, Idololatræ. Priorem ex his duabus propoſitionibus aſſumptis hactenus & probauimus & expoſuimus, ac veterum Idololatrarũ exemplo, veriſſimã Idololatriæ rationẽ continere, oſtendimus.*

Supereſt, vt deinceps poſteriorem confirmemus. Quanquam hoc quidem in priori diſputatione noſtra ſic præſtitimus, vt ceſſiſſe propemodum in hac parte Heerbrãdus videatur. Tantùm enim affert extra rem aliqua, & quædã itẽ repetit, ac multiplicat ſimilia, quæ ſunt à nobis antè iã explicata.

Ac primùm animaduerti velim, cùm quæritur, vtrum Catholici aliquo in cultu diuinum honorem creaturæ, ſicut Deo, tribuant, factum quidẽ vnum extra controuerſiam poni, & de facto altero diſceptari. Nam conuenit inter aduerſarios & nos, Eccleſiam eo genere cultus ac cæremoniæ ſolere vti, quod omnium patet oculis. Quo poſito, de altero facto controuerſia eſt, videlicet num Eccleſia genus id cultus per ſe conſpicuum, ea ratione atque animo vſurpet, vt ſimul diuinos honores ad creaturam, tanquam ad Deum, verè transferat. Vt, ſi cùm euidenter conſtat, aliquem ab altero pecuniæ ſummam v.g. accepiſſe, quæratur de facto rurſum, quanam ratione acceperit; inuitóne altero, an lubenti?

QVAPROPTER *meminerit, quæso, Lector, controuersiam eã, quæ nunc expediẽda restat, vtrũ scilicet Catholici creaturæ sicut Deo diuinos honores deferant, propriè quidẽ versari in facto; quod veréne an falsò Catholicis imputetur, Scripturæ sacræ testimonio minimè definiri queat. Possumus sanè ex diuinis literis docere, quid sit Idololatria, nimirum (vt probauimus) diuinũ honorem creaturæ, sicut Deo, tribuere: Item diuinum honorem esse, quidquid accommodatè geritur ad excitandam opinionem soli Deo congruentem: & denique eos creaturis sicut Deo tribuere huiusmodi honorem, quibus aliqua ratione in animo est, conciliare creaturæ existimationem diuinitatis propriam. Sed vtrum idipsum Catholici aut alij faciant nécne, nõ magis ex diuina Scriptura determinari potest, quàm, vtrum is furtum vel homicidium v. g. patrauerit, nécne, qui furti aut homicidij accusatur. Itaq; mirabiliter ineptus est Heerbrandus, cùm vitio mihi vertit, q scripturæ auctoritate non euicerim,*

Disceptatione facti esse eã, qua quæritur, vtrum Catholici adhibeãt diuinum cultum creaturis, nécne. Proinde nõ satis sobriè Heerbrandum requirere hoc loco scripturas.

Catholicos nullo in cultu diuinũ honorem creaturæ sicut Deo deferre, atque adeò Idololatriam illos minimè committere. Credo paulatim isti scripturas introducent in forum, vt quod ad facti quoque inficiationem vel probationem attinet, vice testium sint. Quo nihil fingi potest absurdius.

Conc. 3. & alias.

Catholicos nullo cultu adhibere diuinos honores creaturæ, vt Deo.

VELINT ergo nolint aduersarij, de calumnia conuincentur, ea Catholicorum innocentiæ probatione, quæ ex ipsa ratione facti peti potest, hoc modo; Diuinos honores creaturæ, sicut Deo, illi habent, qui de ipsa excitare opinionem Deo soli congruentem aliqua ratione volunt, vt est antè demonstratum: hoc nequaquam volunt Catholici, cùm sacrosanctam Eucharistiam, Sanctos, sacras imagines & reliquias colunt: rectè igitur assumptum est, illos minimè honorem diuinum aliquo istorum cultu, tribuere creaturæ, sicut Deo, proindeq; ab Idololatria longissimè abesse.

HOC vt doceamus, aperienda sigillatim atq; ordine est ratio, quam in vnoquoque cultu istorum seruat Catholica Ecclesia.

In

In adoranda Eucharistia diuinum quidem illa vsurpat honorem, sed per illum non de substantia panis, (quam, peracta consecratione, minimè permanere agnoscit) non de ipsis accidentibus, non de aliqua omnino creatura; sed de Christo Deo ac Domino nostro, qui sub panis accidentibus admirabili modo continetur, existimationem vult diuinam excitare. Itaque diuinum honorem non ad creaturam idololatricè, sed ad Deum, nempe Christum religiosè refert. Quæ res cùm in facto consistat, abunde publica atque assidua Ecclesiæ protestatione probatur.

ATQVE *hæc breuiter summa est eorum, quæ pluribus in priore disputatione docuimus, vt adorationem Eucharistiæ ab Idololatria vendicaremus. Vbi primùm carpit Heerbrãdus, quòd Christum Deum ac Dominum nostrum in hoc sanctissimo Sacramento contineri dixerim, non facta mentione humanitatis illius. Videtur inquit, Hispanus Nestorizare, dum Christum Deum passim adesse dicit, separans ac diui-* Cap. 3. Conc. 64.

dens naturas.] Mihi verò videtur Heerbrandus potiùs magna laborauisse penuria argumentorũ, quæ hoc loco obiiceret, quandoquidem ad tam frigidam, tam puerilem cauillationem sese demisit. Propositum eo loco mihi erat ostendere, latriæ cultum sacrosanctæ Eucharistiæ adhibitum, cùm ad verum Deum referatur, Idololatriam non esse. Hoc vt probarem, necessariò mihi diuinitas Christi Domini commemoranda fuit, (quod tamen vix feci sæpius, quàm semel) humanitatis item mentionem in eiusmodi controuersia facere non attinebat. Quid igitur? num illam ideo à diuinitate distraxi, vel inficiatus sum, quoniam de illa tacui? Quoties in scriptura Christus dicitur Deus, humanitate [a] tacita? Nestorizare inquit, videtur Hispanus. Credo veriùs visum Heerbrando vocabulum ad conuiciandum aptum, & ideo ita illum lusisse, tametsi rem subiectam minimè teneret. Nestorij namque hæresis, vt ex actis Concilij Ephesini constat, non fuit, Christum, Mariæ filium, esse verum Deum, quod ego dixi,

[a] Matt. 16. Ioan. 11. & 20. Marci 1. Rom. 9. Galat. 1. Ioan. vlt. & aliàs.

Heerbrãdus qualisnã fuerit Nestorij error, ignorauit.

dixi, sed potiùs esse purum hominē, aliamq́; personam à filio Dei æterno.

FATETVR *præterea Heerbrandus in Eucharistia Christum adorandum esse, tametsi (quod alioqui vrgere isti solent) non ideo præcipuè in Sacramento ille sese sistat. Cæterùm Idololatriam esse ait, Eucharistiam quoque adorari, quoniam sit creatura. Dissimulauit videlicet, aut non intellexit, quod in disputatione mea ex doctrina Concilij Tridentini annotaui, Catholicos Eucharistiam adorare, idipsum esse, Christum sub speciebus latentem adorare. Nam ob admirabilem coniunctionem Christi cum iis accidentibus fit, vt cuius venerationis ille, in sanctissimo Sacramento existens, terminus per se ac veluti scopus est, eiusdem etiam ipsa accidentia terminus esse quadam ratione censeantur: non quidem per se, quasi illis item, vt Christo, veneratione concilietur diuina existimatio, sed per accidens, vt loquuntur, eo ipso videlicet, quòd sunt aliquid Christi, vt in Sacramento quidem existit. Itaq; vt homi-*

Conc. 63.

Conc. 69.

Conc. 65.

Sess. 13. cap. 5. & can. 13.

Qua ratione adoratio latriæ ptinere dicatur etiā ad ipsas species sacramētales.

hominem album, veſtitum &c. venerari dicimur, tametſi honorem ad ſolum hominem per ſe referamus, ad veſtes autem & albedinem non niſi per accidens, vt ſunt aliquid illius: Sic veriſſimè cenſemur Euchariſtiæ exhibere latriam, quamuis illam per ſe non ad ſpecies, ſed ad Chriſtum, ſpeciebus contentum, dirigamus, ad ſpecies autem ipſas per accidens, ratione iam dicta.

Conc. 67. & 69. &c. DISTRAHIT *igitur Heerbrandus res coniunctiſſimas, cùm toties, abſque vlla probatione, ſeparat adorationem Chriſti, vt exiſtit in Euchariſtia, ab adoratione Euchariſtiæ, vt continet Chriſtum. Nam idem adorationis motus pertinet ad vtrũque, tametſi diuerſa ratione, vt eſt expoſitum. Quod quidem Concilij Tridentini Patres non obſcurè indicauerunt, cùm pro eodem accipiunt, Chriſtum Dominum in ſancto Euchariſtiæ Sacramẽto adorari*[a] *cultu latriæ, & latriæ cultum, qui Deo debetur, huic ſanctiſſimo Sacramento*[b] *in veneratione exhiberi.*

a Canone 6. Seſs. 13.

b Cap. 5.

QVARE

QVARE *quòd in auctoritatibus aliquorum patrum à me pro adoratione Eucharistiæ citatis, Heerbrandus excipit, illos non dicere, adorandam esse Eucharistiam, sed Christum in Eucharistia, omnino nihil obstat, cùm tantundem vtrumque valeat. Neque ego ex Augustino citaui illa verba: Adorauerunt Eucharistiam & manducauerunt, vt Heerbrandus fingit, cùm ait, me ideo Augustini locum deprauare. Tantummodo locum ipsum, prætermissis Augustini verbis, indicaui. Ex quo, & aliis* [a] *etiam, luce clarius est, Augustini sententia, Eucharistiam, vt Christum continet, adorandam esse. Quod* [b] *& alij Patres docent.*

In disputat. cap.3.

Epist.120. ad Honoratium, & in Psa.21.enarratione. 1. Conc.68. & 69. Conc.54.

a In Psal.48. enarra 1. & in Psal.98.

b Ambr.li. 3.de Spiritu sancto c.12. Gregor. Nazian.in oratione de laudib. Gorgoniæ Sororis. Cyrill. Hierosol. catec. Mystagogica.5. Chrys. Hom.24.in 1.epistol.ad Cor.&c.

NEQVE *eadem ratio suppetit, vt res aliæ, in quibus Deus est, aut peculiariter etiam operatur, adorētur; sicut Heerbrandus* [c] *argutatur. In Eucharistia siquidem, modo prorsus admirabili accidentibus panis & vini subest Christus. Et licet non hæc illi tanquam subiecto inhæreant, aut hypostaticè coniungantur, quia tamen ad illum*

c Conc 70. & 79.

certa

certa quadam & peculiari ratione pertinent, Eucharistia simpliciter adoratur, cùm adoratur in illa Christus.

VERVMENIMVERO *difficile non est, animaduertere, quid agant isti, quando ita studiosè negant, Eucharistiam esse adorandam. Nolunt venerationem etiam externam Christo Domino in Eucharistia exhibere. Quod dogma faciliùs se retinere posse arbitrantur, si inficientur, Eucharistiam, quæ externa res est, venerandam esse.* Conc. 63. *Ita Heerbrandus, quod antea simpliciter confitetur, Christum Dominum in Eucharistia adorandum esse, postea obiter,* Conc. 79. *tanquam puderet eum tam vani dogmatis, declarat, faciendum esse eo modo, quo* Ioan. 4. *Deus præcipit, nempe in Spiritu & veritate (id est, vt isti deprauare solent) interiori duntaxat adoratione.*

Lib. 4. fidei orthodoxæ cap. 13. SVNT *illi hac in parte inhumani, neque intelligunt, quod à D. Ioanne Damasceno præclarè notatum est, quoniam ex natura duplici constamus, spirituali & corporea, duplicem quoque nos adorationem*

debere

debere Deo, atque adeò etiam Christo seruatori nostro, interiorem vnam, alteram exteriorem, quæ ab interiori proficiscatur. Vtramque adorationem cùm adhibemus, tunc demum perfectè elucet in veneratione humanitas. Tunc verissimè in spiritu adoramus & veritate, quæ in consensione quoque operis externi, cum interna mentis deuotione cernatur. Ideo Deus tametsi purissimus Spiritus atque inuisibilis sit, non solo tamen Spiritus nostri[a] Sacrificio, sed [b] vitulis etiam labiorum, hoc est, sacrificio laudis & orationis delectatur, & varia item religionis cæremonia, qualis sine controuersia in Sacramentorum vsu adhibenda est. Nam etsi genere hoc ille minimè indigeat, sicut nec interna veneratione, è re nostra est tamen, vt ea ratione, quæ secundùm humanitatis naturam inprimis est, Deo obsequamur, augeamusq́ue, vt fit, spiritus deuotionem. Ergo Heerbrandus, non modò pertinax est & imperitus, cùm Christum Dominum in Eucharistia adorandum esse fateatur, Eucharistiam, quod erat conse-

a Psal. 50.
b Ose. 14.

Cur externa veneratio adhibenda.

a Conc.73. & deinceps præsertim con.78.

b Cyprian. in sermone de cœna Domini. Aug. serm. 28. de verbis Domini & lib. sententiarum Prosperi ex eodem. Ambr li. 4. de sacram. c. 4. & lib. de his qui initiantur mysteriis ca. 9. Hierony. in 14 c. Marci. & Greg. 4. dialog. c. 58. Anselmus in Comment. super. 1. ad Corint. 11. Isidor. lib. 1. de Ecclesiasticis officiis ca. 18. Beda in lib. de mysteriis missæ

consequenter concedendum, adorandam esse negat, sed etiam agrestis et inhumanus, quòd adorationis internæ, quam ait se adhibere Christo, nolit dare significationem.

SED *argumentatur præterea hic panista.* [a] *Pontificij docent Eucharistiam latria esse adorandam: sed in hac panis est & manet: consequens ergo est, ipsos Idololatras & artolatras esse.*] *Primùm ne si Christus quidem in Eucharistia impanatus esset, vt pistores isti volunt, sequeretur necessariò panilatras vel artolatras esse, qui Eucharistiam, hoc est, Christum in pane adorarent. Nisi velit etiam ridiculè Heerbrandus vestilatras quoque illos omnes facere, qui Christum vestitum adorauerunt. Deinde substantiam panis, peracta consecratione, restare, merum est istorum brotistarum siue panistarum commentum: quod non modò cum concordi* [b] *Patrũ sententia, sed etiam cum* [c] *Scriptura ipsa, atque adeò cum*

Bernard. in serm. de cœna D. Basilius in lib. de ritu missæ. Greg. Nissenus in lib. de mystica vita Mosi. Cyrillus Hierosol. in catech. mystag. 4. Chrysost. in sermon. de encœniis &c.

c Matth. 27. Marci 14 Lucæ 22.

cũ Christi verbis pugnat; ex quibus apertè constat, non aliam ipsum Apostolis substantiam, quàm corporis sui in cœna præbuisse. Accipite inquit, & comedite; Quid? Hoc (substantiam totam, quam manibus tenebat, demonstrat) est corpus meũ. Et [a] *alibi, Panis, inquit, quem ego dabo, caro mea est, pro mundi vita.*

VERVM *non attinet obiter perstringere omnia, quæ ad eam controuersiam spectant. Videamus solùm qua ratione nitatur* [b] *Heerbrandus Christum impanare. Apostolus,* [c] *inquit, Eucharistiam panem vocat. Sæpe iam est & rectè à Doctoribus Catholicis responsum, in Scriptura interdum eius rei vocabulo nominari aliquid, cuius* [d] *similitudinem refert, aut efficiendi virtutem* [e] *imitatur, aut etiam ex qua* [f] *confectum est. Itaque Eucharistia panis dicitur, quia panis videtur, quia vt panis reficit, quia ex pane confecta est.*

[g] VRGET *deinde verba Irenæi,* [h] *qui Eucharistiã ex duabus rebus cõstare dicit, terrena & cælesti. Nos cùm (terrena res)*

N *voca-*

a Ioan. 6.
b Con. 73.
c 1. Cor. 11.
d Gen. 18. Exod. 25. & 37. & nu. 7. & 3. Reg. 7.
e Quicquid reficit, dicitur panis, vt ps. 77. Vnde comedere panẽ in scriptura generatim accipitur pro esu etiam aliorum ciborũ vt Gen. 31. & 37. Exod. 20 Rhut. 2. 1. Reg. 20. & 28. 2 Reg. 12. 3. Reg. 21. Eccles. 9. &c.
f Gen. 2. Eua dicitur os. & 3. Adam puluis & Exod. 7. serpentes magorum, Virgæ.
g Conc. 74.
h Lib. 4. ca. 34.

vocabulum commune sit accidentis & substantiæ, rectè terrenam rem accidentia panis interpretamur, quæ vnà cum substantia panis ex terrestri materia sunt facta. Quæ responsio cùm ab Heerbrando refutari non potuerit, abunde sufficit. Nam quòd
Conc. 74. *admonet, ne Caluinizem, similiter rem cælestem interpretando non corpus Christi, sed accidens corporis Christi, facit perridiculè. Quid enim obstat, quo minùs, res, commune vocabulum, accommodetur eo loco et ad accidentia panis, et ad substantiã ipsam corporis Christi significandam?*

Conc. 75. *PROFERT quoque Gelasij testimonium huiusmodi: Sacramenta, quæ sumimus corporis & sanguinis Christi diuina res est: propter quod et per eadem efficimur diuinæ consortes naturæ: & tamen non desinit substãtia vel natura panis et vini.] Fertur Gelasius quinque libros contra Nestorium & Eutychen scripsisse, neque inter illius opera libellus ille, ex quo hoc testimonium desumptum est, numerari solet. Itaq; nõ leuiter quidam suspicantur, fragmentũ* Vide Platinam & Tritemium.

illud

illud Caluinistarum etiam opera Tiguri recusum, Gelasij non esse, sed cuiusdam potiùs Gennadij, Maßiliensis Ecclesiæ presbyteri, qui feritur scripsisse etiam cõtra Eutychen, & sæpe aliâs errauit. Quanquam nec desunt, qui testimonium adductũ, cuiuscunque tandem illud sit, ita exponant, vt non sit sensus, substantiam vel naturam panis, peracta consecratione, secundùm essentiam permanere, sed secundùm virtutem atque efficaciam reficiendi, vel certè secundùm substantiæ genus, quod in corpore Christi itidem reperitur. Sicut illud etiam Ambrosianum exponi solet: Si tanta vis est in sermone Domini Iesu, vt inciperet esse, quod non erat; quantò magis operatorius est, vt sint, quæ erant, & in aliud conuertantur?] Qui tamen disertè nihilominus docet, efficacia verborum Christi, naturæ institutum (vt ille loquitur) mutari, atque adeò panem minimè superesse. Quòd si maximè Gelasius tanquam doctor aliquis, nihil vt Pontifex determinans, & vnus item aut alter ex patribus hac in re lapsus

Li. 4. de Sacram. cap. 4.

Ibidem, & cap. 5. & li. 6. de Sacramentis ca. 1.

errore fuisset, habemus certè pro veritate transsubstantiationis nubem aliorum testiũ, vt magna sit Heerbrandi temeritas, quòd auctoritate patrum, quam solet alioqui flocci facere, nobiscum audeat decertare.

In epistola ad Callosyrium.

QVANQVAM *non miror, eundem esse temerarium, qui sit etiam insanus. Sic enim Cyrillus Alexandrinus appellauit eos, quorũ sequitur Heerbrandus hæresim, cùm contendit, Eucharistiam citra vsum non consistere, nec in illa Christum adesse. Nunquam verò ex Scriptura, aut Ecclesiastica traditione isti probabunt, consecrandi virtutem ea lege diuinis Christi verbis inesse, vt in Eucharistia ille non sit, nisi cùm sumitur, aut nisi illico sumatur. Nam quòd* CHRISTVS *Dominus dixit: Accipite*[a] *& comedite; hoc facite*[b] *in meam commemorationem, declarat, quid tunc factum sit, nimirum idem, quod nunc etiam in Ecclesia sæpe fieri solet, cùm post consecrationem non à sacerdote solùm, sed ab aliis etiam sumitur Eucharistia. Item docet*

Christũ D. in vsu tantũ Eucharistiæ præsentẽ adesse, probari non posse.

a Matth. 27.
b Luc. 22.

docet Dominus in sui memoriam id esse faciendum, quotiescunque fit, sicut Apostolus apertiùs exponit. Sed quid hæc ad legem illam, quam isti sine verbo vllo Dei, verbis Christi præscribunt, ne scilicet vim consecrandi habeant, nisi statim vsus consequatur. Vbinam Christus hoc dixit? At ille non nisi ad vsum præsentem consecrauit. Quid tum? Ideóne conditionem apposuit, vt non aliter consecratio esset efficax? Colligant pari ratione, necesse esse, vt agnus quoque Paschalis ante consecrationem edatur: Item, vt non nisi nocte in cœna mysterium hoc peragatur, &c. quia Christus Dominus nō nisi istis circumstantiis consecrauit. Ista sunt scilicet aperta illa & plana scripturarum testimonia, quibus importuni scripturatores isti nugantur, se sua dogmata confirmare. At repositio ista vel custodia Eucharistiæ (inquit Heerbrandus) in Ecclesia primitiua vsitata non fuit.] *Perspicuum mendacium; cùm Clemens primus inter alias constitutiones Apostolicas referat vnā, quæ sic habet: Postquam omnes*

1. Cor. 11.

Conc. 83.

Lib. 8. de cō-stitutionib. Apostolicis.

communicauerint, inferant Diaconi reliquias, quæ superſunt, in paſtophorion,] *id eſt, in tabernaculum, vt nunc vocant.*

Et ex Conc. Anciranoc. 6. & Nicē. 1. Can. 12. colligitur conſuetudinem aſſeruandi Euchariſtiã pro infirmis eſſe antiquiſſimã. Quod vt diligenter fiat, etiã ſtatuitur in Conc. Late. ſub Inno. 3. & Aurelianẽſi & aliâs. Conc. 83. De conſecra. d. 2. cã. trib.

SED & in decretis eodem loco, quem Heerbrandus citat, hæc eiuſdem Clementis ſententia refertur: Tribus gradibus commiſſa ſunt ſacramenta diuinorum ſecretorum, id eſt, presbytero, & diacono, & miniſtro, qui cum timore & tremore clericorum, reliquias corporis Domini cuſtodire fragmentorum debent.] *Quare quod ex eodem ibidem refertur, vt tanta in altaria holocauſta offerantur, quanta populo ſufficere debent, quòd ſi remanſerint, in craſtinum non reſeruentur, ſed cum timore & tremore clericorum & diligentia conſumantur;*] *non poteſt habere eum ſenſum, quem iſti volunt, nempe extra vſum non manere in Euchariſtia corpus Domini; ſed (quod tunc fortè ſic expediebat) cauetur, vt in gloſſa notatur; ne in craſtinum, ad vſum certè communicandi populi, reſeruarentur hoſtiæ conſecratæ, quando non eſſet ob aliam cauſam neceſſe illas*

ipsas reseruare. Atque eòdem pertinent Origenis & Hysichij testimonia ab Heerbrando citata. Conc. 84. & 85.

QVOD verò contendit præterea Heerbrandus, Idololatriam esse, sacrosanctam Eucharistiam ad sacrificandi etiam vsum conuertere, eandem impietatem & crassissimam hominis ignorantiam redolet. Nihil enim minùs ea ratione fit, quàm vt diuinus honor creaturæ deferatur; siquidem ad verum Deum hoc quicquid est cultus pertinet. Neque verò alia ex parte illegitimum censeri potest hoc officij genus, cùm vniuersa Ecclesia Catholica, illis Christi verbis, hoc facite in meam commemorationem, semper intellexerit, potestatem sacerdotibus noui Testamenti factam esse, offerendi sanctam Eucharistiam, sacrificium & hostiam DEO acceptissimam. Quem cultũ (quoniam alterius loci est disputatio hæc) vno tantùm Esaiæ testimonio nunc asseremus, quo simul sacrosanctam Eucharistiam extra vsum consistere liquidò confirmatur.

Conc. 22. 23. & 81.

Lucæ 22. Vt videre est de consecratione d. 1. & 2. per plures canones, ex Conciliis & summis Põtificibus & Patribus desumptos.

Isai. cap. 56. Lib 5. commen. in eundē Prophetam. *I*S *igitur de hostiis ac sacrificiis noui Testamenti, vt exponit Cyrillus Alexandrinus, in hunc modum vaticinatur: Et filios aduenæ, id est, gentes, qui adhærent Domino, vt colant eum, & diligant nomen eius, vt sint illi in seruos; omnem custodientem Sabbathum, ne polluat illud, & tenentem fœdus meum, adducam eos in montem sanctum meum, & lætificabo eos in domo orationis meæ, holocausta eorum & victimæ eorum placebunt mihi super altari meo, quia domus mea, domus orationis vocabitur cunctis populis, ait Dominus Deus, qui congregat dispersiones Israël, adhuc cōgregabo ad eum congregatos eius: omnes bestiæ agri venite ad deuorandum, vniuersæ bestiæ saltus.*]

CVM *Propheta hoc loco de domo materiali Dei, hoc est, de templo prænunciet (vt* Matth. 21. *Christus hunc locum citans interpretatur) consequitur de hostiis illum, non spiritualibus modò, verùm etiam sensibilibus, hoc est, de Eucharistia variis in locis (secundùm* Malach. 1. *prædictionem Malachiæ) in altari quoque mate-*

materiali oblata, vaticinari. Vnde & bestias agri, hoc est, gentes prauis moribus priùs extra Ecclesiam efferatas, ad comedendum inuitat.| *Sicut etiam apertiùs 70. interpretes verterunt, omnes bestiæ agrestes venite comedite, omnes bestiæ syluæ.*] *Quare, frendeant licet VViclephistæ & Lutherani, legitimus in Ecclesia cultus est, Eucharistiam non ad sumendi solùm, sed etiam ad sacrificandi vsum conferre, atque adeò ad propitium reddendum Deum.*

QVOD *autem postremò Heerbrandus ait; verba, quibus Ecclesia Catholica ad consecrandum vtitur, incantationem magicam continere, quoniam particula, enim, Euangelicis verbis sit addita, & peculiari quadam anhelitus respiratione, vt ipse fingit, & mussitando sint ea verba pronuntianda; meræ nugæ sunt, quæ apud homines mediocriter cordatos nulla confutatione indigent. Sed neque hoc loco necesse est de mysteriis litigare, quæ Gabriel in quinario numero verborum consecrationis, non quidem necessariò, sed tamen non malè* Conc. 90. Super can. Missæ lecti. 38.

inquirit; constat enim placuisse quoque san-ctis Patribus [a] *studium id animaduertendi rationes ac mysteria numerorum. Quare non debuit* [b] *Heerbrandus Gabrielem, virum egregiè doctum ac pium, et popularem suum, eo nomine irridere.*

a Hier. in c. 11. 30. et 40. Ezec. & aliàs passim. Augusti. tract. 17. in Ioan. & q. 2. super numeros, & aliàs. Ambr. l. de Noë & Arca ca. 42. & libr. 2. de Abraham c. 9 & c. Greg. li. 1. in Iob c. 12. & aliàs.

b Conc. 91.

VENERATIONEM SANCTORVM NIHIL PENITVS HABERE CVM Idololatria commune.

CAPVT VI.

SANCTIS *adeò non deferunt Catholici diuinos honores, sicut Deo, vt ne honor quidem, quem in eorum veneratione vsurpant, sit diuinus, sed à diuina potiùs maiestate maximè alienus. Quod vt in priori disputatione nostra doceremus, huiusmodi partitione vsi sumus: Sanctos omnino veneramur, cùm aut ab his, vt apud Dominum nobis suffragētur, petimus; aut ipsum etiam Deum oramus, vt illorum meritis addu-*

Cap. 4. Genera quatuor officiorum, quæ in Diuos, honoris causâ, cōferimus, sine crimine Idololatriæ.

adductus, nobis, quod optamus, impertiat; aut in illorũ memoriã tẽpla extruimus, vel sacra facimus, vel statis diebus feriamur, quidpiámue illis promittimus; aut illorum sanctimoniã admiramur vel prædicamus, vel etiam officiis aliquibus testamur, vt genuflectendo, vt percutiendo pectore, aliisq; huius generis actionibus externis.

QVÆ si expendantur singula, nihil minùs, quàm honoris diuini ratio, in illis reperietur. Nam quòd Diuorum tum intercessione, tum meritis apud communem illorum & nostrum Dominum adiuuari volumus, apertè protẽstamur potiùs, illos creaturas esse, quæ superiorem habeant Deum, quem pro nobis exorent, apud quẽ mereantur. Quæ officia tam aliena sunt à Dei maiestate, atq; adeò à ratione diuini honoris, quo illius dignitas & perfectio aptè innotescat, quàm alienum à Deo est, vt habeat aliquem se superiorem. Prorsus vt stultitia maxima sit, vel ex hoc vno non euidenter deprehendere, Idololatriam ab hoc toto genere procul abesse.

Qui intercessione ac meritis sanctorũ iuuari cupiũt, eo ipso apertè significãt, se pro Diis illos minimè habere.

IAM

Templorũ vſu,& ſacrificiorum & feriarũ, non trãsferri ad ſanctos honorem DEI proprium.

IAM templa ipſa, & ſacra, & ferias, quatenus hæc per ſe in diuinis honoribus recenſentur, ad Deum tantummodo Catholici referunt; ad Sanctos verò non templa, nõ ſacrificia, non ferias, ſed in templis, ſacrificiis, & feriis, peculiarem memoriam, ac reuerentiam ipſis congruentem. Ita cultus hic ea ratione Sanctis adhibitus, nequaquam diuinus eſt. Nam in templis, ſacrificiis, & feriis, creatura quoque affici poteſt honore, ab illa non alieno.

Ita D. Aug. li.8. de ciuit. Dei cap.27. & li.20. contra Fauſtum cap.21.

Vota, vt ſunt actus virtutis religiõis, & ad diuinũ honorẽ ſpectant, non fiunt ſanctis ipſis.

PARI *modo vota ſiue promiſſiones, quæ Sanctis fieri dicuntur, quatenus ad religionem cultumq́; diuinum pertinent, nequaquam directò referuntur ad ipſos Sanctos, ſed hoc honoris tantùm ipſis Catholici tribuunt, cùm vouere illis dicuntur, quòd illorum amore reuerentiaq́; inducti, Deo vouent, tanquam ſit illis etiam hoc ipſum Dei obſequium, propter amorem, quo cum Deo ſunt coniunctiſſimi, placiturum. Item quaſi teſtes eos faciunt deuotionis ſuæ, eorumq́; veluti auſpiciis & interceſſione freti, cõſtituunt adimplere, quod Deo promittunt.*

QVOD

QVOD *si maximè quiſpiam ipſis etiam Diuis promittat, exequuturum ſe virtutis aliquod officium, ne tunc quidem illos afficiet honore diuino. Quid ita? Quoniam ea promiſsione ſolùm ille proteſtabitur, Diuos creaturas præſtantes eſſe, cum Deo gratia & amore coniunctiſsimas, quibus ideo promiſſum opus diuini obſequij acceptũ etiam & gratum ſit futurum. Quapropter ſi quæ pollicitatio iſtiuſmodi Sanctis fiat, nequãquam illa religionis officium erit, ſed definitæ alterius virtutis, nempe ſingularis obſeruantiæ, quæ proximè quidem non proteſtatur Dei excellentiam, vt religio, ſed creaturæ præſtantiam, atq; adeò non affert ipſa diuinum honorem, ſed reuerentiam congruentem creaturæ.*

Poteſt etiã aliquid ſanctis ipſis promitti abſq; eo, quòd iiſdẽ attribuatur diuinus honor.

DENIQVE *laudationem Sanctorum eorumq; per externas actiones honorationem, planum eſt, per ſe, ad honoris genus ſpectare indifferens, quod acommodari ad colendam quoque creaturam poſſit. Sed neque ab intentione noſtra accipiunt officia hæc rationem diuini honoris: quaſi per illa velimus*

Vt colligitur ex Aug. lib. 10. de ciuit. Dei c. 4.

velimus Sanctis existimationem conciliare, soli DEO *conuenientem: Nequaquam enim hoc volumus. Quod non tantùm verbis, sed etiam ipsa ratione cultus, quem adhibemus Sanctis, euidenter testamur. Nam recurrimus ad illos, vt ad famulos præcipuos Dei, qui apud Dominum suum & nostrum plurimum gratia valeant, vt est antè explanatum. Itaque verissimum illud est, quod huius capitis initio asseuerauimus, Catholicos, cùm veneratione͂ adhibent Sanctis, eiusmodi vsurpare honorem, qui à diuino numine sit alienissimus, tantumq́; præstantibus creaturis conueniat. Ex quo intelligitur, virtutem, quæ huius generis honorem Diuis affert, religionem non esse, cuius propriè diuina maiestas scopus est, sed singularem illam obseruantiam, quam paulò antè diximus, in præcelle͂tium creaturarum cultu versari.*

HÆC *ita breuiter posita, quæ in altera*
Cap. 4. *disputatiõe nostra pluribus explicata sunt, satis vanitatem Heerbrandi declara͂t, qui enumerationem illam, paulò antè factam, offi-*

officiorũ, quibus veneramur Sãctos, dicat, tot Idololatrias & impietates, quot verba cõtinere. Videamus quomodo miser probet. Tenebras primùm offundere veritati nititur, cùm ait, Idololatriam latè patere, & proinde posse in veneratione Sanctorum committi, quamuis illis non honor diuinus tribuatur sicut Deo. Bene habet, quòd refutatum commentũ hoc à nobis suprà est, cùm definitionem ab isto traditam Idololatriæ, scripturarũ testimoniis penitus reuicimus, & nostram firmauimus: vt quæcunque ille super ea Idololatriæ definitione vel fictione extruxit, prorsus iam corruerint.

Quomodo ꝓbet Heerbrandus venerationem sanctorũ cõtinere Idololatriam. Conc. 92.

Cap. 1. & 2.

AD nauseam vsq; inculcat præterea, non habere nos diuinum præceptum venerandi Sanctos, modis suprà dictis. Et hoc quoque friuolum & nugatorium istorum esse argumentum suprà euicimus: Cùm ex diuinis literis cõstet, spontaneos etiam cultus, & vtiles, & Deo gratissimos esse; tantum abest, vt quia spontanei sunt, sint, vt isti delirant, Idololatria. Qua de re non est opus repetere, quæ sunt dicta priùs.

Conc. 97. 105. 100. 117. &c.

Conc. 97. 1. Timot. 1. SED *vrget aduersùs Sanctorum inuocationem Apostoli sententiam: Vnus est mediator Dei & hominum Christus Iesus:*] *Cæci planè sunt isti qui non videant, se vehementer Apostolo repugnare, cùm ex eo loco concludunt, iniuriam mediatori Christo fieri, imploranda Sanctorum intercessione. Nam si ita est, pari ratione ex vnitate mediatoris concludetur, viuos pro viuis intercedere non debere, cùm istorum quoque intercessio verè intercessio sit. Et tamen Apostolus contraria prorsus argumentatione colligit, alios pro aliis intercedere oportere, quoniam vnus est mediator Dei & hominum Christus Iesus, qui vniuersos redemit. Obsecro inquit, fieri orationes, obsecrationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus &c. Hoc enim bonum est, & acceptum coram Saluatore nostro Deo, qui omnes homines vult saluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire. Vnus enim Deus, vnus & mediator Dei & hominum homo Christus Iesus, qui dedit redemptionem semetipsum pro omnibus.*]

Ex illo Apostoli loco: Vnꝰ est mediator, &c. potiùs probari, sanctos inuocandos esse.

Eodē loco.

Ac

Ac si apertiùs ita ratiocinaretur: Quoniam pretioso Redemptoris nostri sanguine ac meritis, Dei erga homines sic auersa indignatio est, & misericordia inclinata, vt omnes ille, quantum in ipso est, saluos facere velit, æquum est, vt non solùm pro nobis ipsi, verùm etiam pro aliis apud Dominum intercedamus, quò efficacibus gratiæ auxiliis adiuti confirmatiq́, salutem à Christo vnico Redemptore partam, certiùs consequantur.

TVVS *igitur ille furor, Heerbrande, est, tuæ illæ Cimmeriæ tenebræ, quas loqueris, quòd hoc Apostoli loco tam peruersè abutaris: Nos, cùm Sanctorũ etiam intercessione volumus fructum redemptionis nostræ obtinere, eo medio vtimur, quod bonum est & acceptum, vt Apostolus loquitur, coram saluatore nostro Deo.*] *Absit autem à nobis, vt ideo Redemptorem ipsum, quem* [a] *aduocatum habemus apud Patrem, deseramus. In illo præcipuè spem figimus,* [b] *ipso nitimur, illum solum fatemur sanguine suo chirographũ deleuisse mortis sempiternæ,* Conc. 97.

a 1. Ioan. 2.

b Catholicos, etsi Sanctos inuocent, Christi tamen meritis & sanguine in primis niti.

ternæ, cui nos peccatum addixerat, tum etiam flexisse misericordiarum Patrem obligauisseq́, vt sufficientia nobis & necessaria ad salutem auxilia suppeditet, adeoq́ gratiam & gloriam, si eiusmodi auxilia non neglexerimus.

Quod nam fuerit proprium officium Redemptoris.

Isai. 63.

SED quamuis in hoc Redemptor noster Christus torcular calcarit solus, Sanctorum tamen suffragia idcirco expetimus, quoniam intelligimus Deum ita honorare solitum amicos suos, vt ab ipsis rogari [a] *velit, quò illorum causa etiam, non quidem ex obligatione iustitiæ, qualem illi Christus Dominus iniecit, sed benignè & liberaliter mortalibus benefaciat. Nam si hæc non esset voluntas Dei; si, vt* [b] *Heerbrandus blasphemat, Sancti cisternæ dissipatæ essent, quæ prodesse nobis nõ possent nunquã profectò illi in cælis cum DEO voluntate coniunctissimi, de sua salute securi, de nostra soliciti, vt* [c] *Hieronymus ait, intercederent prò nobis: quod tamen ipsos facere* [d] *Heerbrandus, & alij hæretici victi tandem fatentur, & ex diuinis constat literis.*

a Iob. 42.

b Conc. 97.

c Aduersùs Vigilantiũ Tom. 3. Ac similem sententiam reperies apud D. August. serm. 29. de sanctis, & Orig. Hom. 3 in Cãtica.

d In dispu tatione de inuocatione Sáct. cõc. 26.

[a] *literis. Quid igitur? quòd officium Sanctorum erga nos Deo acceptissimum, & nobis vtilissimum est, quod illi libenter in nos conferunt, hoc ipsi ab illis petere sine Idololatria non poterimus? Quæ isthæc insania est, quis furor, Heerbrande?*

AT non audiunt inquit, [b] rebus iam humanis exempti, orationes nostras, nihil omnino de rebus nostris cognoscunt. Quàm isti homines animales, spiritum non habentes, ratiocinantur crassè? [c] Fateor, lumine naturali intellectus non cognoscunt, sed cognoscunt tamen illustrati diuinitus, siue in verbo, eadem cognitione, qua beati sunt, siue peculiari reuelatione extra verbum: nihil enim interest, quod ad præsentem attinet controuersiam. Nam si quæ ad eos spectant, quos maxima charitate diligunt, non viderent, si illorum votis ac petitionibus opportunè occurrere non possent, si surdi essent, qui sese piè alloquentes non audirent, quomodo esset gaudium illorum [d] plenum? quomodo felici statu fruerentur?

a Ex Iere. 15. 2. Mach. 15. & aliis locis constat, piè olim ante legem gratiæ defunctos quãdo necdum videbant Deum, intercessisse pro aliis; multò ergo magis nunc intercedunt beati. Item Tob. 12. Zach. 1. Apoc. 8. &c. apparet Angelos etiam intercedere: igitur & Sãcti qui erũt sicut Angeli Dei. Matth. 22. Vide D. August. in illud Psalm. 120. Leuaui oculos meos in montes vnde veniet auxilium mihi.

b Conc. 93. & 109. &c.

c Quomodo Sancti intelligant orationes nostras.

d Psal. 35. Ioan. 16.

Matth. 22. *quomodo essent sicut Angeli Dei, qui gau-*
Luc. 15. *dent in cælis super vno peccatore pœniten-*
tiam agente, adeoq́ue vident, quæ hic gerun-
1. Cor. 13. *tur? Si per Prophetiæ lumen, quod imper-*
fectum est, & ex parte, multi diuinitus
consequuti sunt, vt longè posita cernerent;
cur non etiam orationes nostras agnoscant
beati, cùm euacuato quod ex parte est,
quod perfectum est venerit, hoc est, cùm
fuerint ipso sole luminis gloriæ collustrati?

LONGVM *esset omnia persequi, qui-*
bus argumentum hoc eleganter tractat D.
Lib. 22. de ciuit. Dei ca. 29. *Augustinus, confirmans illud exemplo He-*
lisæi Prophetæ, qui absens Giezi seruum vi-
4. Reg. 5. *dit, cùm iniquè à Naaman munera pro re-*
stituta sanitate acciperet. Tantùm hæc eius-
dem Augustini verba referam: Sicut au-
tem ex Hebræo interpretatus est presbyter
Hieronymus, ista sunt ad Giezi verba Pro-
phetæ; Nonne cor meum in præsenti erat,
quando reuersus est homo de curru suo in
occursum tui? Corde suo ergo, inquit Au-
gustinus, se dixit vidisse Propheta, adiuto
quidem mirabiliter, nullo dubitante di-
uinitus;

uinitus; sed quantò ampliùs tunc omnes munere isto abundabunt, cùm Deus erit omnia in omnibus.]

DESINAT *igitur Heerbrandus insanire, neque neget Sanctis beatis, quod etsi per naturam illi non habent,* DEI *tamen munere acceperunt; videlicet vt exaudiant preces nostras. Nam quod ex alto loco Augustini citat; defunctorum animas rebus nostris non adesse, neque videre quæ agũtur aut inueniuntur in ista vita hominum,*] *sensus est, defunctorum animabus non esse hoc naturale, vt nobis præsentes adsint, resq́; nostras intelligant, sicut nos ordinariè possumus interesse rebus amicorum, de illisq́; cognoscere. Atque huc Augustinus refert illud ex Isaia: Abraham nesciuit nos, & Israël non cognouit nos. Quanquam de his, cùm non essent tunc beati ante Christi mortem, alia ratio est.* Lib. de cura pro mortuis agenda cap. 13. Conc. 95. Isai. 63.

QVOD *verò diuina virtute animæ beatorum cognoscant de nostris rebus ea, quæ ipsas conuenit intelligere, non solùm loco priùs citato Augustinus docet, sed etiã*

Cap. 15. & 16. *in eo libro, ex quo Heerbrandus testimonium profert. Nam illico declarat, nihilominus fieri posse, vt aliqua ex his, quæ hîc geruntur, defuncti cognoscant, referētibus vel Angelis, vel animabus ex hac vita migrantibus, vel virtute diuina, qua, vt præsentes quoque nobis adsint Sancti, fieri posse confirmat.*

Cap. illo 16 *Hinc inquit, illa soluitur quæstio; quonam modo martyres, ipsis beneficiis, quæ dantur orantibus, indicant, se interesse rebus humanis, si nesciunt mortui, quid agant viui? &c. Verùm ista diuinitus exhibentur longè aliter, quàm sese habet vsitatus ordo singulis creaturarū generibus attributus, & paulò pòst; Alij itaque sunt humanarum limites rerum, alia diuinarum signa virtutum, alia sunt, quæ naturaliter, alia, quæ mirabiliter fiunt: quamuis & naturæ Deus adsit, vt sit, et miraculis natura non desit. Non igitur ideo putandum est, viuorū rebus quoslibet interesse posse defunctos, quoniam* QVIBVSDAM SANANDIS, VEL IVVANDIS MARTYRES ADSVNT; *sed ideo potiùs intelligendum*

Cōcedit D. Aug. virtute diuina, præter naturæ ordinē fieri, vt Sancti de viuorum rebus cognoscant, illisque prosint.

gendum est, QVOD PER DIVINAM POTENTIAM, MARTYRES VIVORVM REBVS INTERSVNT, *quoniam defuncti per naturam propriam, viuorum rebus interesse non possunt.*]

POTVITNE *Augustinus interpretari clariùs, quo sensu antea negauerit, defunctis cum viuis aliquid intercedere? Nequaquam profectò potuit. Itaq; fidem in Heerbrando bonam desidero, quòd ex eo Augustini libro probare voluerit, nullo modo Sanctos, quo loco res nostræ sint, intelligere. Etsi verò Augustinus ibidem subdubitet, quanam ratione Sancti viuis suffragentur: vtrùm videlicet præsentes adsint illis, an verò generali quadam intercessione è cælo ipsis prosint; certum tamen esse asseuerat, Sanctorum subsidio viuos, qui eosdem exorant, (vt antè dixerat) diuinitus adiuuari. Sed nec veretur aliis in locis determinatè affirmare; Beatos, cogitationes*[a] *nostri cordis diuino lumine collustratos, perspicere, & nos*[b] *exaudire.*

a Lib. 22. de ciuit. ca. 29.
b Li. de vera relig. ca 65.

QVÆ cùm ita sint, nemo nõ iudicabit, vanissimum esse Heerbrandum, quòd tam crebrò nobis occinat, habere nos Deorum loco Sanctos, cùm inuocamus ipsos absentes; quasi tribuamus illis hac ratione omnipræsentiam, vt ille loquitur. Vnius Helisæi exemplum, paulò antè inductum declarat, posse quempiam de rebus absentibus cognoscere diuinitus, etiamsi illis non adsit præsens. Itaque non illico Diuis omnipræsentiam tribuimus, si illos absentes inuocemus. Quanquam Augustinus ne hoc quidem diuina virtute fieri posse negat, vt Sancti præsentes adsint, etiam vno tempore, disiunctissimis in locis.

Conc.93.et 109.&c.

Lib. de cura pro mortuis agẽda c. 16.

AGE verò videamus, qua ratione Heerbrandus nitatur præterea puerile quoddam argumentum, à nobis in altera disputatione refutatum, confirmare, vt demonstret, nos Sanctos pro Diis habere. Erat autem illud huiusmodi: Si quis in aliquem credat, illum habet pro Deo, quia in solum Deum creditur. Pontificij credunt in Sanctos, quia inuocant illos; & Apostolus ait,

Conc.93. & deinceps.

Sic ille argumẽtatur, in disputatiõe de inuocatione Sãctorum Conc. 18.& 19.& de pcatione. Conc. 55.

Rom. 10.

ait, quomodo inuocabunt, in quem non crediderunt? habent igitur Sanctos pro Diis, & sunt Idololatræ.

PVDVIT *ferè me respondere tam pueri- li argumento, sed respondi tamen, vt Heerbrandi in argumentando infantia notaretur. Dixi, inuocationem illam, quæ cum fide in eum, qui inuocatur, tanquam in Deum, coniuncta est, longè diuersam esse ab ea inuocatione, qua Sanctos honoramus. Nam illam non dirigi nisi ad eum, qui vt creator, & summus rerum omnium Dominus, virtute propria liberare ab omni ærumna queat: hac verò, intercessionem tantùm eius qui inuocatur, implorari; proinde quòd ita Sanctos inuocemus, argumento esse potiùs, creaturarum numero illos à nobis censeri; quippe quos eo ipso protestemur superiorem habere Deum, apud quem suis precibus vt nobis suffragentur, petimus.*

Cap. 4.

Diuersam longè rationem esse inuocationis Dei & Sanctorum.

HIC *primùm Heerbrandus, tantùm non apertè fassus est, videre iam se conclusionem illam suam fuisse absurdißimam;* Conc. 106.

Itaque animo admodum exili: Quod exagitat inquit, argumentum meum ex Apostolo desumptum: cum Paulo litiget, quamdiu volet, per me sanè licet.] *Quasi verò sensisset vnquam Apostolus, inuocationem eius, qui exoratur, vt intercedat, cum fide in illum tanquam in Deum, coniunctam esse. Nihil euidentius est, quàm de illo altero inuocationis genere, quod ad* DEVM *spectat, ipsum loqui, quando ait: Quomodo autem inuocabunt, in quem non crediderunt? Repetiuerat namque proxi-*
Iohel. 2. *mè sententiam illam ex Iohele: Omnis, qui inuocat nomẽ Domini, saluus erit, tum subiicit: Quomodo autem inuocabũt? &c.*] *Quapropter cùm Sancti à nobis non inuocentur ea ratione, qua Deus, nequaquam ex Apostolo, sed ex insano atque imperito cerebro suo desumpsit argumentum Heerbrandus, cùm colligit, nos, quoniam inuocemus Sanctos, in ipsos vt in Deũ credere.*

Conc. 106. & 107. VERVM *recipit ille animum; Et, Elapsurum inquit, se sperat sophista, conficta distinctiuncula verbi inuocare. Sed heus*

(inquit)

(inquit) Hispane, probanda tibi erit distinctio hæc, & verbi significatio duplex ex Scriptura sacra.] Puerile planè ac ridiculū, ex Scriptura, tanquam ex Dictionario vel Dasipodio aliquo verborū significationem definire velle. Angustam certè Grammaticam isti habent, si ipsis non licet vocabulis ita vti, vt vtuntur auctores boni, tametsi in scripturis non ita accipiantur. Quis autem neget, in Ecclesia Catholica plures fuisse [a] *latinitatis bene peritos, qui inuocationē pro precatione vsurpauerint, qua Sanctos, vt pro nobis intercedant, rogamus?*

Ineptiæ Heerbrandi qui vocabulorū vsū scripturæ tantùm phrasi & vsu metiri velit.

a Vide D. August. loquutio. de Gen. li. 1. ca. 260.

DEMVS *igitur (quod secus est) inuocandi verbum, in scripturis accipi duntaxat pro oratione ad Deum fusa: Quanta obsecro, stoliditas est, ideo contendere, nos, quoniam Sanctos inuocare dicimur, eadem ratione ipsos, qua Deum precari? An non possumus vocabulum in Scriptura vsitatū ad Sanctos referre, quin illico ad eosdem etiam rem, quam vocabulum in Scriptura significat, referamus? Quid prohibet illud ad significandum rem diuersam, accommodare?*

dare? At non est Scripturæ vocibus licenter abutendum. Primùm vocabulorum abusus Idololatria non est. Deinde illorum significatio & vis, non ex diuinis tantùm literis est discenda, vt antè diximus.

MITTO, *inuocandi verbum, in Scriptura tum aliis modis, tum etiam pro petitione intercessionis Sanctorum accipi, sicut D.* [a] *Augustinus interpretatur illud Patriarchæ* [b] *Iacob; Angelus, qui eruit me de cunctis malis, benedicat pueris istis (vbi apertè patrocinium Angeli, nepotibus precatur) et inuocetur super eos nomen meum, nomina quoque patrum meorum Abraham & Isaac.] Itaq; cum Augustino certat Heerbrandus, dum nititur aliter inuocationis nomen hoc loco interpretari.*

a Capite illo 200. li. 1. loquution. de Genesi.

b Gen. 48.

Conc. 108.

EGO *verò de nomine non valde pugno. De re ipsa agamus. Intellexit Heerbrãdus, admonitus disputatione nostra, futilem esse argumentationem illam suam, qua ita concluserat: Pontificij inuocant Sanctos: ergo credunt in illos. Idcirco solicitus valde fuit, quemadmodum varias particulas assum-*

ſumptæ propoſitioni aſſueret, vt argumento vim adhiberet. Reſarſit igitur, quantum ex variis ipſius diſputationis locis colligo, argumentum illud hoc modo: Pontificij inuocant Sanctos mortuos & abſentes, tanquã vbiq; pſentes adſint, & gemitus cordis cognoſcant, & omnipotētes ſint, qui poßint ſe inuocantes iuuare & liberare ex malis, deniq; maiorem conſequendæ beatitudinis fiduciam in Sanctis, quàm in Chriſto ponunt: Ergo credunt in Sanctos, & quidem magis ac firmiùs, quàm in Chriſtum ipſum, in quem alioqui non certò credendum, ſed dubitandum iubent.]

Conc. 106. 109. & in appendice q̃ in fine diſputationis adiunxit ad eã Conc.

Ineptũ Heerbrandi argumentum ex calumniis mendaciiſque putidiſſimis compoſitum.

NVLLVM *ex his mendaciis eſt, quod non ſit perſpicuum & palpabile. Illud tantùm verè dixit, Sanctos à nobis inuocari, vt ij, qui gemitus & oratiões noſtras agnoſcant, tametſi abſentes & hac vita functi ſint. Verùm hinc nihil minùs ſeqtur, quàm in eoſdem nos credere vt in Deos: Intelligimus enim illos, vt ſuprà eſt dictum, non id per naturam poſſe, ſed munere diuino, qua ratione creaturæ quoque conuenire poteſt,*

Depulſio argumenti vel potiùs calumniarum.

vt arcana cernat & procul posita, sicut euidenter antea monstrauimus. Non potest igitur argumentum illud suum Heerbrandus fulcire, nisi miraculosè faciat, vt mendacia illa, quæ veritati addidit, mendacia non sint; quod scio ipsi esse factu difficillimum, vt ostenderem pluribus, si vel obscura res esset, vel tota huius loci.

SED *habet ille adhuc, quod nobis opponat, nempe plaustrum precatiuncularum, quas partim ex corrosis, vel, quia hoc illi vocabulum antè non placuit ex attritis, rubiginosis, & anonymis voluminibus, partim, vt ille ait, ex missalibus, & sequentiis, & horariis, & antidotariis, & horarũ cursibus, non sine diligentia, vt apparet, compleuit; vt testibus omni exceptione maioribus doceret, nos pro Diis habere Sanctos. Quo indicio? quoniam in eiusmodi precibus misericordia Sanctorum imploretur, & vita æterna, & gratia ab ipsis absolutè petatur, &c.*

Conc. 40. & deinceps.

In disp. c. 4.

AD *hæc iam antè respondi, id quod est notissimũ, & isti etiã bene sciunt, quamuis contra*

contra propriæ cõſcientiæ teſtimonium diſſimulant, nempe cùm Sancto dicitur; Fac, aut concede, &c. ſenſum eſſe, Effice precibus & interceßione apud DEVM *tua. Quod quidem ex precandi formulis Eccleſiæ vſitatioribus eſt perſpicuum. Nam in Litaniis ad Deum, dicimus, Miſerere nobis; ad Sanctos, Ora pro nobis. Sed iudicat Heerbrandus primùm ideo nos dißimili ratione inuocare Deum & Sanctos, ne videamur Ethnici. Execramur igitur Ethnicorum ſuperſtitionem, atque adeò Ethnici non ſumus: Niſi fortè tales eſſe poſſumus omnino inuiti. Quòd autem decies ſalutationem angelicam, & ſemel precationem Dominicam recitare interdum ſoleamus, ſignum eſt, non quòd plus B. Virginis patrocinio, quàm diuina ope nitamur, vt Heerbrãdus iocatur: Sed quòd non vno modo tantùm precandi rationem inſtituere ſoleamus; item quòd reuerenter ad diuinæ maieſtatis thronum accedere velimus, tanquam ab ipſa* DEI *matre introducti, quam ideo vt pro nobis intercedat, ſæpe & inſtanter* Conc. III.

obſe-

obsecramus, priusquam Patrem ipsum misericordiarum inuocemus.

Conc. 112. SVBIVNGIT *deinde, ideo se ad disparem illam rationem inuocandi Deum, & Agg. 2. Sanctos in Litaniis, non attendere, quia Sancta non sanctificant polluta, sed contrà profana polluunt Sancta.*] *Quod cùm ille non ampliùs explicauerit, ego sic interpretor, Heerbrandum, quia pollutus errore ac profanus sit, nolle, iuxta eam differentiam, Sanctorum intercessione uti, quippe qui sanctificare ipsum nequeant, quamdiu pollutus errore manet; sed potiùs in id studium velle incumbere, vt pollutus ipse Sanctos blasphemiis polluat atque proscindat.*

VERVM *videamus, qua ratione ille conetur ostendere, cùm Catholici Sancto dicunt; fac, aut concede, sensum non esse, vt* In disp. c. 4. *diximus: Effice precibus & intercessione apud Deum tua: Nimirum nõ aliter, quàm repetendo varios hymnos, & precatiunculas, in quas omnes eadem illa prorsus expositio quadrat. Adeò fuit vel rudis, vel quod magis puto, subdolus, qui Catholicorum since-*

sinceritatem atq; innocentiam, testimonio propriæ conscientiæ, & expositione illa nostra, à se agnitam, ea saltem arte voluerit obfuscare apud imperitos & miseros, quos his nugis decipit.

AVGVSTINVS *certè apertè docet, Sanctorum intercessione nos à peccatis & gehennæ igne liberari. Quod satis deberet esse, vt Heerbrãdus nõ ita pharisaicè scandalizaretur, cũ in eo sensu Catholicos legit à Diuis ipsis gratiam & salutem postulare. Præterea, cùm Sancti nihil à Deo precẽtur, nisi quod ex diuina voluntate sit, atq; adeò impetraturos se certò sperent, candidè quoq; interpretanda esset illa hyperbole, qua quis Beatam virginem, aut Sanctum aliũ, cuius studiosus est, omnia posse diceret. Est enim sensus, posse illum à Domino obtinere, quæcunq; velit, quia nihil volet frustra, sed ea tantùm, quæ Deo placita sunt, fieri et expedit. Quanquam Heerbrandus quidem nullo alicuius momenti testimonio docet, neque verò docere potest, eam loquendi formam ab Ecclesia Catholica, vel vsitatam,*

Lib. 21. de ciuit. Dei ca. 27.

Vide Petrũ Lombardũ li. 4. sent. d. 45. sub finẽ.

tam, vel approbatam esse. Illud tãtùm ago, non continuò Idololatriæ damnandum aliquem esse, si studio quodam affectus, & obseruãtia erga Sãctum, asserat, illum omnia posse, quæcunque videlicet à Domino precari velit. Nam & eos, qui apud Principem aliquem gratia plurimùm valent, dicere consueuimus, omnia in illius ditione posse, Quare? quoniam quæcunque volunt, obtinere valent à Principe.

SED & illa formula precandi B. Virginem; Propitia esto, parce nobis Domina, præterquàm quòd in Litania Virginis cõmuni, & Lauretana non ponitur, commodum certè ac expeditum sensum refert; vt minimè ab Heerbrando debuerit tam iniquè censeri. Conc. 40. *Nam constat, iniuriam inferri Deo non posse, quin simul Dei mater offendatur. Quare non modò peccatoribus aliis ea precatio est vtilis, sed inprimis etiam Heerbrando consultum, Deiparam, quam plurimis ille blasphemiis incessit, supplici animo exorare, sibi vt parcat, & propitia sit, & in se gladium illum ancipitem seueræ indig-*

indignationis ne vibret, quo, Prophetæ sententia, terribilem illa, sicut & reliqui cœlites, de inimicis suis vindictam sumere potest, ac etiam [a] *solet. Quòd si absq; Idololatriæ nota hi, qui mortales Principes ac Dominos offenderunt, eosdem sibi propitios reddere, illorumq; gratiam promereri, & oratione, & officio student; insignis profectò dementia est, eos Idololatriæ damnare, qui sanctissimæ Dei matri reconciliari volunt, eamq; ideo verbis illis honorificè cõpellant; Propitia esto, parce nobis Domina. Etenim non vna & eadem his verbis subiecta sententia est, cùm ad Deum, et ad B. Virginem accommodantur. Nã à Deo gratiam ipsam & gloriam, tanquam ab huiusmodi munerum largitore Catholici petunt, cùm, vt ipsis propitius sit, petunt: à Deipara verò intercessionem tantùm, vt deposita indignatione, si quam erga eos habet, gratiam et gloriam ipsis benignè impetret, vt illi et sæpissime, & verissimè testantur.*

Psalm. 149.

a Vide Nicephorum lib. 18. Historiæ Eccl. cap. 33.

NON *modò igitur Heerbrandus censor ineptus, sed iniquus etiam calumniator*

est, quòd verba, quæ varium sensum habere possunt, plus velit habere momenti ad condemnandos Catholicorum animos Idololatriæ, quàm eorundem simplicem atque sinceram protestationem de legitimo verborum sensu ad ipsos excusandos. Conc. 18. *At inquit, quamuis ipsi nihil minùs sentiant aut cogitent, (quàm se habere Sanctos vel aliã creaturam pro Deo) tamen Spiritus sanctus, qui est oculatissimus, hoc videt, audit, intelligit, & de eis pronunciat.] Egregium sanè artificium, diuino testimonio, quod per se arcanum est, & à cognitione hominum remotissimum, calumniam confirmare velle, cùm aliæ desunt idoneæ probationes. Quæro ex Heerbrando, vtrùm existimet, Spiritum sanctum videre, audire & intelligere, quod verè non est, neq; videri aut intelligi, aut audiri potest. Opinor non existimat. Siquidem oportet, rem ita esse, si eam Spiritus sanctus ita esse intelligit. Cùm igitur Heerbrandus probare nunquam possit, Catholicos habere Sanctos aut creaturam aliam pro Deo, ineptissimè conten-*

contendit, hoc Spiritum ſanctum de ipſis pronunciare; eosq́ illorum impiorum eſſe ſimiles, qui iudicio diuino, corde ſuo licet non verbis, dicunt; poſuimus mendacium ſpem noſtram &c. Iſai. 28.

QVANQVAM *ſi maximè priuatus aliquis Idololatriam committeret, vel certè preces minùs aptas incautè aut ſcriberet aut vſurparet, hoc quidem inſtituto Eccleſiæ Catholicæ, circa inuocationem legitimam Sanctorum, minimè præiudicaret. Nam id genus ipſa non approbat, imò prohibet &* [a] *cauet; vt vana ſit Heerbrandi calumnia quòd* [b] *obiectat, non haberi huius rei prouidentiã in Eccleſia, ſicut etiã quòd nugatur, ad inuocandam B. Virginem ſignum campanis dari, ad inuocandum Deum nunquam. Eſt ſignum, nunquã Heerbrandum adire templum, vt interſit ſacrificio Miſſæ, atque ita impiè violare præceptum Eccleſiæ, quo eſt, velit nolit, obligatus, ſi baptiſmum recepit.*

a In præfatione libelli precatorij, iuſſu Pij V. editi.

b Conc. 41. & 111.

PRÆTEREO *interim, illum, quod prudẽs lector facilè animaduertet, partim pre-*

cationes aliquas cõmẽtitias, et apocriphas, & omnino explosas protulisse, vt apertum
a Conc. 41. *mendacium sit, quod*[a] *ait, eas in omnibus templis decantari: partim etiam eiusmodi, quæ potiùs Catholicorum causæ fauent.*
b Conc. 54. c Lib. 4. sent. d. 45. *Quale illud est quod*[b] *citat ex*[c] *Magistro sententiarũ; Oramus Sanctos vt* INTERCEDANT *pro nobis, & merita eorũ nobis suffragentur. Nam quòd hinc colligit, illos inuocari vt redemptores, friuolum est. Nõ enim illi Deũ obligant ad benefaciendũ nobis, sicut Christus Dominus, vt antè quoque dictũ est, et aliâs esset explicandũ copiosiùs.*

QVARE *quòd catalogum Sanctorum facit, quos non sine blasphemiis dicit, à no-*
Conc. 47. *bis more gentium coli, tanquam Deos &*
Sap. 13. *rectores orbis terrarum, sicut ait Sapiens, maximæ nugæ sunt, quas à veteribus hæreticis vsurpatas, iam pridem contempsit*
Lib. 20. contra Faustũ cap. 24. *& irrisit Augustinus. Et iam in priori disputatione rationem, quam iste refutare*
Conc. 97. *non potuit, dedimus, cur Catholici pro diuersis beneficiis à* DEO *impetrandis, diuersorum intercessionem Sancto-*

rum

rum implorent, quia ſcilicet deuotionis hoc genus euentu atque vtilitate diuinitus ſæpe probatum eſt, eò quòd ad excitandum in nobis pietatis ſtudium, ſit cumprimis accommodatum. Nequaquam verò ab illis velut à Diis beneficia ipſa ſperamus, vt Heerbrandus fabulatur. Sed neq; animalia Diuis ſacrificant Catholici more Ethnicorum, vt idem obiicit. Nam ſi quando hæc illi offerunt, ſacrorum adminiſtris ea largiuntur, ex Dei, Diuorumq; reuerentia & amore, vt antea reſpondimus.

Conc. 116. & in diſputatione de precatione conc. 56. Conc. 100.

AT opponit vidiſſe ſe in templis ſuſpenſa donaria, tanquam Sanctis ipſis, non miniſtris oblata. Si anſeres, porcellos, (nam in hoc genere verſatur ſubtilitas Heerbrandi) gallos gallinaceos, & alia huius generis animalia, de quibus controuerſia erat, ſuſpenſa vidit, meminerit quæſo, in templóne viderit, an alio in loco, ad quem fortè diuertit. Alia genera donariorum non nego in templis aliquando ſeruari; non quòd Diuis ſacrificata aut oblata, Ethnicorũ ritu fuerint, ſed quòd ſint velut teſſeræ,

Conc. 116.

Cur donaria quædam ſeruentur in templis.

quæ tum prærogatiuam Diuorum & gratiam, qua valent apud Deum, tum etiam accepta diuinitus, illorum intercessione, beneficia fidelibus significent (quò ita demum Sancti congruis honoribus afficiantur. Quæ res cùm in Dei honorem tandem,
Psal. 67. *qui est mirabilis in Sanctis suis, referatur, verè etiā ab aliquibus dicitur (quod Heer-*
Conc. 115. *brandus immeritò carpit) hoc totum, quicquid est donariorum, pertinere ad Deum.*

QVOD *attinet ad vota siue promissiones (parum enim interest, quomodo appellemus, modò de re constet) quæ Sanctis fieri dicuntur, frustra quoq; laborat Heerbran-*
Sub initium huius capitis. *dus. Superiùs enim explicatum à nobis est, quemadmodum illa vel Deo ipsi, Sanctis auspicibus, nuncupentur: vel si directò referantur ad Sanctos, non religionis proximè, sed alterius virtutis, nempe peculiaris obseruantiæ officia esse, hoc est, non ad con-*
Psal. 21, 49. *ciliandam diuinam opinionem, (quo fine*
& 115. &c. *soli Deo vouere, secundùm diuinam Scripturam fas est) sed ad testificandam dignitatem præcellētium creaturarum proximè*

perti-

pertinere, atque adeò minimè illa honorem diuinum esse.

NEQVE verò ideo nullum est inter religionis & obseruãtiæ cultum discrimen, quoniam vtrique idem vocabulum, nempe Dulia, interdum accommodari soleat: sicut ineptè ratiocinatur Heerbrandus. Quid enim impedit, quò minùs eadem voce, res specie ac ratione diuersissimæ, communiter significentur? Nonne honor, & seruitus latinè, ad significandum etiam cultum soli Deo debitum accommodantur? Ita planè. Nam legimus: Soli Deo honor [a] & gloria, &; Dominum [b] Deum tuum adorabis, & illi soli seruies. Quid igitur? Colligétne hinc bene Heerbrandus, eum honorem, qui parentibus debetur, nihil differre ab honore, qui Deo soli reseruandus est, neq; quidquam inter seruitutem Deo debitam, & obsequium aliis Dominis exhibendum, interesse; proindeq; nec filios honorare parentes, nec seruos Dominis seruire, sine Idololatria posse? Si videt, stolidam hanc esse conclusionem, vt in priori disputatione

Conc. 103. & in disputatione de precatione 44. & 49. & 50.

Latum esse inter religionē & obseruantiā discrimen, tametsi his virtutibus earumq; officiis idem aliqũod vocabulum attribuatur.

a 1. Tim. 1.
b Deuter. 6.

Cap. 4.

ostendi, nec ipse repugnare potuit, cur est adeò vel cæcus, vel pertinax, vt ex communitate vocabuli, Dulia, pergat adhuc similiter cōcludere, honorem Dei proprium, nihil discrepare ab honore, quem Sanctis adhibemus, quoniam Valla, & Ludouicus Viues dicant, Duliam vtrumque comprehendere?

Conc. 104. *NON adeò odiosè inquit, de vocabulis certaremus, si de re inter nos conueniret. Atqui in controuersia de re, non adeò stultè & pueriliter ex indifferentia vel communitate vocabuli, quod vtrumq; cultum comprehendit, inferre deberetis, nullum quoque discrimen re ipsa esse inter cultus*
Conc. 103. *eiusmodi. Sed neq; adeò impudenter Heerbrandus negare debuit, discrimen hoc, vllo, vel Scripturæ, vel alicuius boni auctoris testimonio probari. Certè cùm in Scriptura*
a Psal. 138. *dicitur; Nimis [a] honorificati sunt amici tui,*
b Ioan. 12. *Deus, & ; Si quis mihi ministrauerit, [b] honorificabit eum pater meus, & ; Soli Deo*
c 1. Tim. 1. d 1. Petr. 4. *[c] honor & gloria, & ; In [d] omnibus honorificetur Deus,] de diuersis reipsa honorum*

gene-

generibus sermo est. Augustinus quoq; & alij Patres, apertè inter vtrumque cultum distinguunt, ac docent, Latriam pro cultu diuino: Duliam, pro eo, qui creaturis exhibetur, solere accipi. Quod neque Valla, neq; Viues negant, multò minùs discrimē ipsum reale vtriusque cultus, tametsi notauerint, vtrumlibet indifferenter quoque Duliam & Latriā interdum nominari. Quod quidem non surda aure, vt Heerbrandus ait, transimus, (quanquā nec istorum authoritas nobis sancta est) sed intelligimus nihil minùs inde colligi, quàm ꝙ inter vtrumq; cultum reipsa non differat, de quo est controuersia. Obmutescat igitur Heerbrādus, & quando hæc conuellere non potest, nunquam ampliùs nugetur de Gulia, vt ipse histrionicè Duliam appellat.

Li.1.de Trinit.cap.6 & lib.10. de ciuit. Dei c.1. & li.20.contra Faustum c.21. & Damasc. lib.3. Apologię & Beda in 4.c. Lucæ. Item in Conc. Niceno 2. &c.

PVDEAT *etiam ipsum, quòd aduersùs Ecclesiæ morem, dedicandi Deo in Sanctorum memoriam templa, id testimonium D. Augustini profert, quo vno vel maximè Catholicorum causa in hoc genere defenditur. Nonne inquit ille, si templum alicui* Conc.98.

sancto

Li.1. contra Maximinũ Arrianorũ Episcop. *sancto Angelo excellentißimo, de lignis & lapidibus faceremus, anathematizaremur à veritate Christi, et ab Ecclesia Dei?*] *Sanè debuisset hinc Heerbrandus cognoscere, quàm alienum ab Ecclesiæ instituto sit, quod ille sine probatione vlla ipsi affingit, religionem videlicet templorum, ad ipsos Sanctos directò, non ad Deum referre.* Sub initium huius capitis. *Hoc nequaquam fieri iam suprà demonstrauimus; tum etiam ex eiusdem Augustini mente rationem exposuimus, ob quam, etsi Diuino numini omnia consecrentur templa, meritò tamen illa nominibus Sanctorũ discerni absque vlla Idololatria queant; quòd in aliis alij Sancti congruentibus honoribus, singulari quodam studio, afficiantur, sicut etiam in eorundem vigiliis & feriis.*

CONCLVDAM *tandem hunc locum, si breuiter argumẽta duo explicauero, qui-* Conc. 117. *bus Heerbrandus ait, velle se totam hanc de mortuorum inuocatione controuersiam* Vide D. August. li. 8. de ciuitat. Dei cap. 26. *finire: ita enim ille Diuos ex contemptu vocat, vt olim impius ille Hermes Trismegistus.*

ſtus. Primum proponit his verbis: Idololatria & Dij alieni, ſunt omnes cultus, qui verbo Dei non ſunt mandati: Inuocatio mortuorum verbo & mandato Dei caret: Ergo eſt Idololatria.] *Nego primam propoſitionem. Monſtratum enim ſuprà eſt, Heerbrãdinam illam Idololatriam, in falſo Heerbrandi cerebro eſſe natam, & ideo non veram, ſed adulterinam eſſe.* Cap. 1. & 2.

COMMENTITIVM *quoq; eſt, quod in altera propoſitione aſſuit, inuocationem Sanctorum carere non ſolùm mandato, ſed etiam Dei verbo. Nam primùm, Dei verbum non tantùm literis, ſed Eccleſiæ voce ſonat. Quod non negatur niſi ab hæreticis. Deinde ex Scriptura conſtat, vt alia nunc omittam, bonum & placitum* [a] *Deo eſſe, vt alij aliorum interceſſione vtantur; & Sanctos, quamuis non corpore, ſpiritu tamen viuere, cùm non ſit Deus mortuorum, ſed viuorum, & nos amare, & felices eſſe, qui proinde exaudire & iuuare nos velint & poſſint. Quæ ſatis profectò ſunt, vt cordati & mediocri eruditione præditi intelligant, San-*

Inuocationem Sanctorum verbo Dei niti.

a 1. Tim. 2.

Marc. 12. & Luc. 20.

Supràplures loci citati ſunt ad hoc Propoſitũ.

Sanctorum inuocationem Scripturarum auctoritate niti. Quod qui nō vident, non modò Theologiæ, sed propemodum rationis expertes sunt, cuius vsus aliquis semper necessarius est, vt quis animaduertat, contineri aliquid in scripturis.

Conc. 118. ALTERVM *argumentum proponit Heerbrandus, hoc modo: Inuocationem ex fide fieri necesse est, & quicquid non est ex fide, peccatum est: Fides porrò nititur verbo Dei tanquā fundamento, ex eoq́; oritur. Ergo vbi verbo Dei caremus, fides nulla est, sed opinio aut superstitio: Porrò mortuorum inuocatio verbo Dei caret, quod confessus est Eckius: Ergo ex fide fieri nequit,*

Heerbrandi leuitas. *ideóque peccatum. Hic inquit, respondeat Hispanus. Hic Rhodus. Hic Saltus.*]

NONNE *posset absque scrupulo conscientiæ ligari, qui sic in insania, vt ita dicam, speculatiua effertur, & ex mentis sensu exilit? Putes non immeritò, helleboro magis, quàm responsione mea Hellbrandi cerebrum sanari oportere. Itaque cum illo nunc nō agam, qui prorsus doctrinæ capax*

in

in hoc symptomate non videtur. Aliis tantùm indicabo vitia, quæ sunt in illius deliro argumento. Primum est, quòd sententiam illam Apostoli; omne quod non est ex fide, peccatum est, sic interpretatur, vt velit, omnia omnino peccatum esse, quæ ex fide certum non sit, esse licita & bona. Itaq; infinita genera contractuum & actionum humanarum damnat, quæ vtrùm licita sint nécne, determinari ex fide & verbo Dei nequit, sed probabiliter tantùm à Doctoribus disputatur: Et tamen sine illis, hominum vita ac societas conseruari non potest. Apostolus autem nihil aliud vult, quàm ea opera esse peccatum, quæ vel repugnante conscientia fiunt, vel etiam ex infidelitate proficiscuntur, & fidei Euangelicæ contraria sunt, vt suprà attigimus, & ex ipso contextu apparet. Secundum vitium est, quòd si maximè illa duntaxat rectè fierent, quæ ex fide & verbo Dei constat esse licita, falsò tamen Heerbrandus sumit, inuocationem Sanctorum verbo Dei, & testimonio fidei carere, vt in refutatione

Argutationis Heerbrãdinæ peccata.

Rom. 14.

Vide inter alios Hugonem Victorinũ, Athanasiũ, Anselmum, & Bedam in commentariis super illum locum.

prioris

prioris argumenti docuimus. Tertium vitium vel potiùs crimen est, quod mendaciter Ioanni Eckio, viro pietatis & eruditionis laude probatissimo affingit, commentum illud suum, scilicet inuocationem Sanctorum verbo Dei carere. Aliud enim longè est, inuocationem Sanctorum non esse diuinitus præceptam, vel euidenter ac speciatim in sacris literis expressam, quod Eckius non malè dixit; aliud, verbo Dei non approbari omnino, quod Heerbrandus comminiscitur.

In cōmuni loco de veneratione Sanctorum sub finem.

HÆC illius argumenti vitia sunt, quod ad materiam assumptarum propositionum attinet. Nam de forma eiusdem nihil est necesse dicere, cùm nemo non videat, esse planè informem, sicut etiam est Heerbrandi mens, gratia Dei destituta, donec desinat aliquando miser cum misero grege suo blasphemare Sanctos, æterna beatitudine felices.

CA-

CATHOLICOS VENERANDIS SACRIS IMAGINIBVS IDOLOLATRIAM minimè committere.

CAPVT VII.

NON *fuit nobis in disputatione altera propositum, neq; modò est, locum hunc de veneratione imaginum, ab aliis & sæpe & luculenter confirmatum, iterum asserere, sed tantùm ostendere, Idololatriam certè ab illo longissimè abesse. Qua de re cùm antea etiam lectorē admonuerim, pudere meritò Heerbrandum debet, quòd fuerit calumniatus, me absque Scripturæ testimonio instituisse probare imaginum adorationem. Non fuit hoc institutum meum; sed, vt dixi, docere tantùm volui, absque Idololatria certè Catholicos imagines venerari, quoniam illis diuinum honorem, sicut Deo nō tribuant. Quod cùm in facti cōtrouersia positum sit, non debuit neque potuit ex Scriptura probari, vt suprà etiam* In priori disputatione cap. 3. Conc. 119. Initio ca. 5.

notauimus. Hoc enim requirere, non minoris stultitiæ est, quàm si accusator vellet, vt is, quem ipse reum homicidij, vel furti agit ex diuina Scriptura, vel ex ciuilibus legibus, ostendat innocentiam suam, hoc est, se crimen non patrauisse. Equidem vbi oportuit, Scripturæ testimonia non præteriui, sed quod inprimis instituti mei erat, Catholicos, quod ad factum attinet, innocentes esse, aliter mihi necessariò probandum fuit, videlicet explicatione eius rationis, quã singulis in cultibus Ecclesia obseruat.

ERGO *vt planiùs doceam, Catholicos non adhibere imaginibus diuinum honorem, sicut Deo, fundamentum vnicum breuiter repetam, quod in priori disputatione positum, Heerbrandus conuellere nequaquam valuit. Illud est, rationem, qua honorare dicimur imagines, longè diuersam esse ab ea ratione, qua honoramus res alias, hoc est, Deum, Sanctos, alios homines. Hos enim vt absolutè, sine relatione ad aliud, cogitamus, sic etiam honorare dicimur, quatenus per honoris officium de ipsis*

Dispari modo honorari imagines & Deũ ac Sanctos &c.

volumus,

volumus, iuxta doctrinã [a] *superiùs traditam, commouere opinionem eam, quæ in eorum excellentiam conueniat: Imagines verò quemadmodum ad àliud quidpiam cogitatione referimus, sic honorare dicimur, quia coram illis actionem aliquam exercemus honorificam, qua excitare volumus opinionem excellentem non de ipsis quidem, sed de prototypo, ad quod ipsæ referuntur, & cuius loco sunt quodammodo.*

EX *quo intelligitur,* [b] *verissimum illud esse, quod affirmari solet, eodem officij atq; honoris genere, eodem animi motu, hoc est, eadem voluntate excitandi opinionem excellentem, honorari prototypum ipsum eiusq; imaginem. Nam imaginẽ,* [c] *vt diximus, honorare est, coram ipsa, tãquam prototypi secundùm repræsentationem vicaria, velle de prototypo commouere excellentem opinionem. Itaque idem venerationis motus ad vtrumque spectat, sed tamen diuersa ratione. Nam ad prototypũ pertinet, vt illi secundùm se existimationem conciliat; ad imaginem autem vt coram ipsa, & in*

a Cap. 3.
b Hoc licet colligere ex B. Cyrillo Alex. lib. 5. dialogorum de Trinit. paulò post initium vbi docet, exemplar & rem repræsentatam esse pro eodẽ reputanda. Basil. li. de Spiritu sancto ad Amphilochium c. 18. & Adriano 1. in epistola ad Constãti. & Irenem. & Damasce. passim in trib9 libellis de imagin. præsertim lib. 3. paulò post mediũ: vbi in hanc sententiã citat aliud quoddam Cyril. Alex. apertũ testimoniũ.
c Conc. 110. & deinceps.

in ipsa tanquã in vicaria, existimatio eiusmodi conciliatur prototypo, perinde ac si illud esset, sicut imago ipsa, præsens.

Vide Damasc. lib. 3. de imagin. & Synodũ 7. act. 3.4. 5. & 6. & Conc. Trid. sess. 25.

ATQVE huc pertinent sententiæ Patrum & Conciliorum, quas in priori disputatione tractauimus, scilicet imagines non nisi relatiuè, vt dici solet, honorari, & honorem qui ipsis datur, ad prototypum referri, & non ipsas secundùm se, sed in ipsis ac per ipsas prototypum honorari &c. Quæ quidem etsi verißimè dicantur, omnino tamen nihil obstant, quò minùs intelligamus & fateamur, verè quoque imagines ipsas honorari, non quidem ea ratione, qua honoratur prototypum, sed alia longè diuersa, qua suo modo etiam propriè & verè dicimur in honore habere eas res, quas non nisi propter aliud, ad quod tota honoris cæremonia pertinet, honoramus: Vt sacrum volumen, vt vestes, & regias literas, vt legatos, vt alia huius generis. Quibus tamen minimè volumus conciliare eam excellentiæ opinionem, quam honoris cæremonia ipsis adhibita, propriè gignit,

Exponit huiusmodi aliqua exempla elegãter Leontius Episcopus Neapoleos Cypri. li. 5. Apologię p Christianis cõtra Iudæos, vt refertur in 7. Synodo actio. 4.

gignit, sed illis tantùm, ad quæ isthæc referuntur.

QVAPROPTER *non solùm hæretici errant, qui venerationem imaginum insectantur, sed etiam illi minùs circumspectè loquuntur, qui, etsi probent Ecclesiæ vsum in venerandis imaginibus, negant tamen ipsas propriè honorari. Nam cùm Patres interdum dicunt, non ipsas imagines, sed res, quas repræsentant, honore affici, tantùm docent, non honorari ipsas ea ratione qua prototypum: Sed non negant tamen, honorari verè suo modo. Vnde in priori disputatione nostra notauimus, fieri interdum, vt in eodem etiam sermone, modò illi affirment, modò negent, imagines honorari. Affirmant, honorari relatiuè, vt expositum est; negant, honorari sicut prototypum.*

Vt Durãdus li. 3. sent. d. 9. q. 2.

Sicut Leontius vbi suprà & Adrianus 1. in epistola ad Cõstã. & Iren: ex sua & aliorum patrum sentẽtia &c. Cap. 5.

Habes huius rei exẽpla in 7. synodo præsertim actione 2 & 6. & passim apud Damascenũ, de imaginibus præsertim lib. 3.

QVIBVS *ita positis, nihil facilius est, quàm docere, Catholicos sic honorare imagines, vt minimè tamen creaturæ adhibeant diuinum honorem, sicut Deo. Venerantur illi tum Christi, tum Sanctorum*

imagines: In cultu Christi imaginum, atque adeò etiam Crucis, honorem quidem vsurpant diuinum, sed non illum imaginibus ipsis deferunt, sicut Christo Deo ac Domino nostro. Quod ex doctrina hactenus tradita, est perspicuum. Nam ad Christum is honor pertinet, quatenus illi conciliat existimationem Deo soli debitam; ad imagines verò, vt coram illis eiusmodi existimatio conciliatur Christo. Quæ duæ rationes adhibendi honorem diuinum Christo vero Deo, & eius imaginibus, cùm longè diuersissimæ sint, luce clarius est, hoc imaginum cultu non exhiberi honorem diuinum creaturæ, nempe imagini sicut Deo, proindeque rationem Idololatriæ, quæ in eo, vt suprà disputauimus, consistit, nequaquam hic cerni.

Sic planè docetur in 7. Synodo actione 2. & 6. Alia & alia ratione coli Christũ & ipsius effigiem.

In veneratione imaginum Sanctorum non adhibetur honor diuinus.

IAM cùm Catholici venerantur imagines Sanctorum, ne vsurpant quidem honorem diuinum, tantũ abest, vt illum imaginibus eiusmodi tribuant, sicut Deo. Quia enim iuxta superiùs dicta, eas venerantur relatiuè, eodem genere honoris illas afficiunt,

ciunt, quo prosequuntur Sanctos: Sanctis autem honorem diuinum minimè deferri, suprà demonstrauimus: Quocirca planum est, à Catholicis nullam, in cultu imaginum, vel Christi, vel Sanctorum, Idololatriam admitti. Cap. praecedenti.

PORRO *hæc, à nobis in altera disputatione pluribus confirmata, sic Heerbrandus oppugnat, vt non tam concludat, imaginum venerationem esse Idololatriam, quod erat tantùm præsentis instituti, quàm illam omnino esse illicitam & prohibitam. Quanquam, vt est elegans, pro eodem ipse accipit, cultum aliquem esse illicitum, & esse Idololatriam. Cùm tamen nemo ignoret, fieri posse, vt aliquid illicitum sit, quod idem longè absit à ratione veræ Idololatriæ. Etsi ergo ad pleraque eorum, quæ hoc loco affert, cùm extra propositum sint, respondere nulla disputandi lege cogar; respondebo tamen sponte, ne videar cum illo agere summo iure; si tamen tantisper ille quoq; sententiam deponat suam, quà cultus omnes, citra legis necessitatem susceptos,* Conc. 119. & sequent.

quæ tum prærogatiuam Diuorum & gratiam, qua valent apud Deum, tum etiam accepta diuinitus, illorum intercessione, beneficia fidelibus significent (quò ita demum Sancti congruis honoribus afficiantur. Quæ res cùm in Dei honorem tandem,
Psal. 67. *qui est mirabilis in Sanctis suis, referatur, verè etiã ab aliquibus dicitur (quod Heer-*
Conc. 115. *brandus immeritò carpit) hoc totum, quicquid est donariorum, pertinere ad Deum.*

QVOD *attinet ad vota siue promissiones (parum enim interest, quomodo appellemus, modò de re constet) quæ Sanctis fieri dicuntur, frustra quoq; laborat Heerbran-*
Sub initium huius capitis. *dus. Superiùs enim explicatum à nobis est, quemadmodum illa vel Deo ipsi, Sanctis auspicibus, nuncupentur: vel si directò referantur ad Sanctos, non religionis proximè, sed alterius virtutis, nempe peculiaris obseruantiæ officia esse, hoc est, non ad con-*
Psal. 21. 49. *ciliandam diuinam opinionem, (quo fine*
& 115. &c. *soli Deo vouere, secundùm diuinam Scripturam fas est) sed ad testificandam dignitatem præcellẽtium creaturarum proximè perti-*

pertinere, atque adeò minimè illa honorem diuinum esse.

NEQVE verò ideo nullum est inter religionis & obseruātiæ cultum discrimen, quoniam vtrique idem vocabulum, nempe Dulia, interdum accommodari soleat: sicut ineptè ratiocinatur Heerbrandus. Quid enim impedit, quò minùs eadem voce, res specie ac ratione diuersissimæ, communiter significentur? Nonne honor, & seruitus latinè, ad significandum etiam cultum soli Deo debitum accommodantur? Ita planè. Nam legimus: Soli Deo honor [a] & gloria, &; Dominum [b] Deum tuum adorabis, & illi soli seruies. Quid igitur? Colligétne hinc bene Heerbrandus, eum honorem, qui parentibus debetur, nihil differre ab honore, qui Deo soli reseruandus est, neq; quidquam inter seruitutem Deo debitam, & obsequium aliis Dominis exhibendum, interesse; proindeq; nec filios honorare parentes, nec seruos Dominis seruire, sine Idololatria posse? Si videt, stolidam hanc esse conclusionem, vt in priori disputatione

Conc. 103. & in disputatione de precatione 44. & 49. & 50.

Latum esse inter religionē & obseruantiā discrimen, tametsi his virtuti bus earumq; officiis idem aliquod vocabulum attribuatur.

a 1. Tim. 1.
b Deuter. 6.

Cap. 4.

ostendi, nec ipse repugnare potuit, cur est adeò vel cæcus, vel pertinax, vt ex communitate vocabuli, Dulia, pergat adhuc similiter cõcludere, honorem Dei proprium, nihil discrepare ab honore, quem Sanctis adhibemus, quoniam Valla, & Ludouicus Viues dicant, Duliam vtrumque comprehendere?

Conc. 104. NON *adeò odiosè inquit, de vocabulis certaremus, si de re inter nos conueniret. Atqui in controuersia de re, non adeò stultè & pueriliter ex indifferentia vel communitate vocabuli, quod vtrumq; cultum comprehendit, inferre deberetis, nullum quoque discrimen re ipsa esse inter cultus*

Conc. 103. *eiusmodi. Sed neq; adeò impudenter Heerbrandus negare debuit, discrimen hoc, vllo, vel Scripturæ, vel alicuius boni auctoris testimonio probari. Certè cùm in Scriptura*

a Psal. 138. *dicitur; Nimis* [a] *honorificati sunt amici tui,*

b Ioan. 12. *Deus, &; Si quis mihi ministrauerit,* [b] *ho-*

c 1. Tim. 1. *norificabit eum pater meus, &; Soli Deo*

d 1. Petr. 4. [c] *honor & gloria, &; In* [d] *omnibus honorificetur Deus,*] *de diuersis reipsa honorum*

gene-

generibus sermo est. Augustinus quoq; & alij Patres, apertè inter vtrumque cultum distinguunt, ac docent, Latriam pro cultu diuino: Duliam, pro eo, qui creaturis exhibetur, solere accipi. Quod neque Valla, neq; Viues negant, multò minùs discrimẽ ipsum reale vtriusque cultus, tametsi notauerint, vtrumlibet indifferenter quoque Duliam & Latriã interdum nominari. Quod quidem non surda aure, vt Heerbrandus ait, transimus, (quanquã nec istorum authoritas nobis sancta est) sed intelligimus nihil minùs inde colligi, quàm quod inter vtrumq; cultum reipsa non differat, de quo est controuersia. Obmutescat igitur Heerbrãdus, & quando hæc conuellere non potest, nunquam ampliùs nugetur de Gulia, vt ipse histrionicè Duliam appellat.

Li.1.de Trinit.cap.6 & lib.10.de ciuit. Dei c.1. & li.20.contra Faustum c.21. & Damasc. lib.3. Apologię & Beda in 4.c. Lucæ. Item in Conc. Niceno 2. &c.

PVDEAT *etiam ipsum, quòd aduersùs Ecclesiæ morem, dedicandi Deo in Sanctorum memoriam templa, id testimonium D. Augustini profert, quo vno vel maximè Catholicorum causa in hoc genere defenditur. Nonne inquit ille, si templum alicui* Conc.98.

sancto

Li. 1. contra Maximinũ Arrianorũ Episcop.

sancto Angelo excellentissimo, de lignis & lapidibus faceremus, anathematizaremur à veritate Christi, et ab Ecclesia Dei?] Sanè debuisset hinc Heerbrandus cognoscere, quàm alienum ab Ecclesiæ instituto sit, quod ille sine probatione vlla ipsi affingit, religionem videlicet templorum, ad ipsos Sanctos directò, non ad Deum referre.

Sub initium huius capitis.

Hoc nequaquam fieri iam suprà demonstrauimus; tum etiam ex eiusdem Augustini mente rationem exposuimus, ob quam, etsi Diuino numini omnia consecrentur templa, meritò tamen illa nominibus Sanctorũ discerni absque vlla Idololatria queant; quòd in aliis alij Sancti congruentibus honoribus, singulari quodam studio, afficiantur, sicut etiam in eorundem vigiliis & feriis.

CONCLVDAM tandem hunc locum, si breuiter argumẽta duo explicauero, quibus Heerbrandus ait, velle se totam hanc de mortuorum inuocatione controuersiam finire: ita enim ille Diuos ex contemptu vocat, vt olim impius ille Hermes Trismegistus.

Conc. 117.

Vide D. August. li. 8. de ciuitat. Dei cap. 26.

ſtus. Primum proponit his verbis: Idololatria & Dij alieni, ſunt omnes cultus, qui verbo Dei non ſunt mandati: Inuocatio mortuorum verbo & mandato Dei caret: Ergo eſt Idololatria.] Nego primam propoſitionem. Monſtratum enim ſuprà eſt, Heerbrãdinam illam Idololatriam, in falſo Heerbrandi cerebro eſſe natam, & ideo non veram, ſed adulterinam eſſe. Cap. 1. & 2.

COMMENTITIVM *quoque eſt, quod in altera propoſitione aſſuit, inuocationem Sanctorum carere non ſolùm mandato, ſed etiam Dei verbo. Nam primùm, Dei verbum non tantùm literis, ſed Eccleſiæ voce ſonat. Quod non negatur niſi ab hæreticis. Deinde ex Scriptura conſtat, vt alia nunc omittam, bonum & placitum* [a] *Deo eſſe, vt alij aliorum interceſſione vtantur; & Sanctos, quamuis non corpore, ſpiritu tamen viuere, cùm non ſit Deus mortuorum, ſed viuorum, & nos amare, & felices eſſe, qui proinde exaudire & iuuare nos velint & poſſint. Quæ ſatis profectò ſunt, vt cordati & mediocri eruditione præditi intelligant,* *San-*

Inuocationem Sanctorum verbo Dei niti.

a 1. Tim. 2.

Marc. 12. & Luc. 20.

Suprà plures loci citati ſunt ad hoc Propoſitũ.

Sanctorum inuocationem Scripturarum auctoritate niti. Quod qui nō vident, non modò Theologiæ, sed propemodum rationis expertes sunt, cuius vsus aliquis semper necessarius est, vt quis animaduertat, contineri aliquid in scripturis.

Conc. 118. ALTERVM *argumentum proponit Heerbrandus, hoc modo: Inuocationem ex fide fieri necesse est, & quicquid non est ex fide, peccatum est: Fides porrò nititur verbo Dei tanquā fundamento, ex eoq́ oritur. Ergo vbi verbo Dei caremus, fides nulla est, sed opinio aut superstitio: Porrò mortuorum inuocatio verbo Dei caret, quod confessus est Eckius: Ergo ex fide fieri nequit,*

Heerbrandi leuitas. *ideóque peccatum. Hic inquit, respondeat Hispanus. Hic Rhodus. Hic Saltus.*]

NONNE *posset absque scrupulo conscientiæ ligari, qui sic in insania, vt ita dicam, speculatiua effertur, & ex mentis sensu exilit? Putes non immeritò, helleboro magis, quàm responsione mea Hellbrandi cerebrum sanari oportere. Itaque cum illo nunc nō agam, qui prorsus doctrinæ capax*

in

in hoc symptomate non videtur. Aliis tantùm indicabo vitia, quæ sunt in illius deliro argumento. Primum est, quòd sententiam illam Apostoli; omne quod non est ex fide, peccatum est, sic interpretatur, vt velit, omnia omnino peccatum esse, quæ ex fide certum non sit, esse licita & bona. Itaq; infinita genera contractuum & actionum humanarum damnat, quæ vtrùm licita sint nécne, determinari ex fide & verbo Dei nequit, sed probabiliter tantùm à Doctoribus disputatur: Et tamen sine illis, hominum vita ac societas conseruari non potest. Apostolus autem nihil aliud vult, quàm ea opera esse peccatum, quæ vel repugnante conscientia fiunt, vel etiam ex infidelitate proficiscuntur, & fidei Euangelicæ contraria sunt, vt suprà attigimus, & ex ipso contextu apparet. Secundum vitium est, quòd si maximè illa duntaxat rectè fierent, quæ ex fide & verbo Dei constat esse licita, falsò tamen Heerbrandus sumit, inuocationem Sanctorum verbo Dei, & testimonio fidei carere, vt in refutatione

Argutationis Heerbrãdinæ peccata.

Rom. 14.

Vide inter alios Hugonem Victorinũ, Athanasiũ, Anselmum, & Bedam in commentariis super illum locum.

prioris

CATHOLICOS VENERANDIS SACRIS IMAGINIBVS IDOLOLATRIAM minimè committere.

CAPVT VII.

NON fuit nobis in disputatione altera propositum, neq; modò est, locum hunc de veneratione imaginum, ab aliis & sæpe & luculenter confirmatum, iterum asserere, sed tantùm ostendere, Idololatriam certè ab illo longissimè abesse. Qua de re cùm antea etiam lectorē admonuerim, pudere meritò Heerbrandum debet, quòd fuerit calumniatus, me absque Scripturæ testimonio instituisse probare imaginum adorationem. Non fuit hoc institutum meum; sed, vt dixi, docere tantùm volui, absque Idololatria certè Catholicos imagines venerari, quoniam illis diuinum honorem, sicut Deo nō tribuant. Quod cùm in facti cōtrouersia positum sit, non debuit neque potuit ex Scriptura probari, vt suprà etiam

In priori disputatione cap. 3.
Conc. 119.

Initio ca. 5.

notauimus. Hoc enim requirere, non minoris stultitiæ est, quàm si accusator vellet, vt is, quem ipse reum homicidij, vel furti agit ex diuina Scriptura, vel ex ciuilibus legibus, ostendat innocentiam suam, hoc est, se crimen non patrauisse. Equidem vbi oportuit, Scripturæ testimonia non præteriui, sed quod inprimis instituti mei erat, Catholicos, quod ad factum attinet, innocentes esse, aliter mihi necessariò probandum fuit, videlicet explicatione eius rationis, quā singulis in cultibus Ecclesia obseruat.

ERGO *vt planiùs doceam, Catholicos non adhibere imaginibus diuinum honorem, sicut Deo, fundamentum vnicum breuiter repetam, quod in priori disputatione positum, Heerbrandus conuellere nequaquam valuit. Illud est; rationem, qua honorare dicimur imagines, longè diuersam esse ab ea ratione, qua honoramus res alias, hoc est, Deum, Sanctos, alios homines. Hos enim vt absolutè, sine relatione ad aliud, cogitamus, sic etiam honorare dicimur, quatenus per honoris officium de ipsis volumus,*

Dispari modo honorari imagines & Deū ac Sanctos &c.

volumus, iuxta doctrinã [a] superiùs traditam, commouere opinionem eam, quæ in eorum excellentiam conueniat: Imagines verò quemadmodum ad aliud quidpiam cogitatione referimus, sic honorare dicimur, quia coram illis actionem aliquam exercemus honorificam, qua excitare volumus opinionem excellentem non de ipsis quidem, sed de prototypo, ad quod ipsæ referuntur, & cuius loco sunt quodammodo.

Ex quo intelligitur, [b] verissimum illud esse, quod affirmari solet, eodem officij atq; honoris genere, eodem animi motu, hoc est, eadem voluntate excitandi opinionem excellentem, honorari prototypum ipsum eiusq; imaginem. Nam imaginẽ, [c] vt diximus, honorare est, coram ipsa, tãquam prototypi secundùm repræsentationem vicaria, velle de prototypo commouere excellentem opinionem. Itaque idem venerationis motus ad vtrumque spectat, sed tamen diuersa ratione. Nam ad prototypũ pertinet, vt illi secundùm se existimationem conciliat; ad imaginem autem vt coram ipsa, &

a Cap. 3.

b Hoc licet colligere ex B. Cyrillo Alex. lib. 5. dialogorum de Trinit. paulò post initium vbi docet, exemplar & rem repræsentatam esse pro eodẽ reputanda. Basil. li. de Spiritu sancto ad Amphilochium c. 18. & Adriano 1. in epistola ad Constãti. & Irenem. & Damasce. passim in trib9 libellis de imagin. præsertim lib. 3. paulò post mediũ: vbi in hanc sententiã citat aliud quoddam Cyril. Alex. apertũ testimoniũ.

c Conc. 110. & deinceps.

in ipsa tanquā in vicaria, existimatio eiusmodi conciliatur prototypo, perinde ac si illud esset, sicut imago ipsa, præsens.

Vide Damasc. lib. 3. de imagin. & Synodū 7. act. 3.4. 5. & 6. & Conc. Trid. sess. 25.

ATQVE *huc pertinent sententiæ Patrum & Conciliorum, quas in priori disputatione tractauimus, scilicet imagines non nisi relatiuè, vt dici solet, honorari, & honorem qui ipsis datur, ad prototypum referri, & non ipsas secundùm se, sed in ipsis ac per ipsas prototypum honorari &c. Quæ quidem etsi verissimè dicantur, omnino tamen nihil obstant, quò minùs intelligamus & fateamur, verè quoque imagines ipsas honorari, non quidem ea ratione, qua honoratur prototypum, sed alia longè diuersa, qua suo modo etiam propriè & verè dicimur in honore habere eas res, quas non nisi propter aliud, ad quod tota honoris cæremonia pertinet, honoramus: Vt sacrum volumen, vt vestes, & regias literas, vt legatos, vt alia huius generis. Quibus tamen minimè volumus conciliare eam excellentiæ opinionem, quam honoris cæremonia ipsis adhibita, propriè gignit,*

Exponit huiusmodi aliqua exempla elegāter Leontius Episcopus Neapoleos Cypri. li. 5. Apologię p Christianis cōtra Iudæos, vt refertur in 7. Synodo actio. 4.

gignit, ſed illis tantùm, ad quæ iſthæc referuntur.

QVAPROPTER *non ſolùm hæretici errant, qui venerationem imaginum inſectantur, ſed etiam illi minùs circumſpectè loquuntur, qui, etſi probent Eccleſiæ vſum in venerandis imaginibus, negant tamen ipſas propriè honorari. Nam cùm Patres interdum dicunt, non ipſas imagines, ſed res, quas repræſentant, honore affici, tantùm docent, non honorari ipſas ea ratione qua prototypum: Sed non negant tamen, honorari verè ſuo modo. Vnde in priori diſputatione noſtra notauimus, fieri interdum, vt in eodem etiam ſermone, modò illi affirment, modò negent, imagines honorari. Affirmant, honorari relatiuè, vt expoſitum eſt; negant, honorari ſicut prototypum.*

Vt Durãdus li. 3. ſent. d. 9. q. 2.

Sicut Leontius vbi ſuprà & Adrianus 1. in epiſtola ad Cõſtã. & Iren: ex ſua & aliorum patrum ſentẽtia &c.

Cap. 5.

Habes huius rei exẽpla in 7. ſynodo præſertim actione 2 & 6. & paſsim apud Damaſcenũ, de imaginibus præſertim lib. 3.

QVIBVS *ita poſitis, nihil facilius eſt, quàm docere, Catholicos ſic honorare imagines, vt minimè tamen creaturæ adhibeant diuinum honorem, ſicut Deo. Venerantur illi tum Chriſti, tum Sanctorum*

imagines: In cultu Christi imaginum, atque adeò etiam Crucis, honorem quidem vsurpant diuinum, sed non illum imaginibus ipsis deferunt, sicut Christo Deo ac Domino nostro. Quod ex doctrina hactenus tradita, est perspicuum. Nam ad Christum is honor pertinet, quatenus illi conciliat existimationem Deo soli debitam; ad imagines verò, vt coram illis eiusmodi existimatio conciliatur Christo. Quæ duæ rationes adhibendi honorem diuinum Christo vero Deo, & eius imaginibus, cùm longè diuersissimæ sint, luce clarius est, hoc imaginum cultu non exhiberi honorem diuinum creaturæ, nempe imagini sicut Deo, proindeque rationem Idololatriæ, quæ in eo, vt suprà disputauimus, consistit, nequaquam hîc cerni.

Sic planè docetur in 7. Synodo actione 2. & 6. Alia & alia ratione coli Christũ & ipsius effigiem.

IAM *cùm Catholici venerantur imagines Sanctorum, ne vsurpant quidem honorem diuinum, tantũ abest, vt illum imaginibus eiusmodi tribuant, sicut Deo. Quia enim iuxta superiùs dicta, eas venerantur relatiuè, eodem genere honoris illas afficiunt,*

In veneratione imaginum Sanctorum non adhibetur honor diuinus.

ciunt, quo prosequuntur Sanctos: Sanctis autem honorem diuinum minimè deferri, suprà demonstrauimus: Quocirca planum est, à Catholicis nullam, in cultu imaginum, vel Christi, vel Sanctorum, Idololatriam admitti. Cap. præcedenti.

PORRO *hæc, à nobis in altera disputatione pluribus confirmata, sic Heerbrandus oppugnat, vt non tam concludat, imaginum venerationem esse Idololatriam, quod erat tantùm præsentis instituti, quàm illam omnino esse illicitam & prohibitam. Quanquam, vt est elegans, pro eodem ipse accipit, cultum aliquem esse illicitum, & esse Idololatriam. Cùm tamen nemo ignoret, fieri posse, vt aliquid illicitum sit, quod idem longè absit à ratione veræ Idololatriæ. Etsi ergo ad pleraque eorum, quæ hoc loco affert, cùm extra propositum sint, respondere nulla disputandi lege cogar; respondebo tamen sponte, ne videar cum illo agere summo iure; si tamen tantisper ille quoque sententiam deponat suam, quâ cultus omnes, citra legis necessitatem susceptos,* Conc. 119. & sequent.

Idololatriam facit, atque ita patiatur, me spõte laborem hunc, sine eo crimine ad gloriam Dei referre.

Conc. 112. Exod. 20. Leui. 26. etc. PRIMVM *repetit Scripturæ testimonia, ex quibus apparet, Deum prohibuisse, ne fierent, vel colerentur simulachra. Tædere meritò istos deberet huius argumenti, cuius audiuerunt toties explicationem.*

Cap. 5. *Dixi in disputatiõe altera, his in locis imaginum vsum impium duntaxat prohiberi, hoc est, quo ipsæ imagines per se, vel ob inhabitantem dæmonem, vel ob creaturam aliam repræsentatam, diuinis honoribus afficiantur, iuxta Idololatriæ genera, ab Ethnicis olim vsurpata, quæ commemora-*

Cap. 4. *uimus suprà; Atque ideo asserui, eiusmodi*

Cap. 5. *Scripturæ loca ad Ethnicos pertinere. Non quòd putauerim, illis solis impio vsu imaginum diuinitus interdici, vt ex crassa quadam vel ignorantia vel malitia Heer-*

Conc. 121. & 145. *brandus sententiam meam est interpretatus: sed quòd ipsi inprimis illa ratione imagines coluerint, quæ in Scripturis damnatur & prohibetur.*

SED

SED neque inficior, omnino prohiberi quoque Dei imagines, eo fine factas, vt per illas ad viuum ipsa diuinitas exprimatur. Nam & hoc nefas esse, diuinæ literæ declarant. Isai. 40. Act. 17. *Illud tantùm contendo, non omnem imaginum venerationem esse prohibitam, sicut neque omnis earundem vetatur vsus, tametsi generatim etiam dicatur; Non[a] facies tibi sculptile, neque omnem similitudinem, &c.* a Exod. 20. *Constat enim iussu Dei[b] aliquot imagines olim fabricatas fuisse.* b Exod. 23. Numer. 21. *Neque absurdè profectò putaueris, B. Petrum insinuasse cultum aliquem simulachrorum* 1. Petr. 4. *(nempe sacrarum imaginum) rectum esse, cùm fideles nominatim ab illicitis idolorum cultibus, deterrere voluit. Quid enim attinebat, ita determinatè cultus simulachrorum illicitos notare, si omnino nullos simulachrorum cultus licitos esse censuisset? Sanè cùm cædem hominis iniustam audimus, iure hominem cædi aliquando posse, intelligere consueuimus. Nec si à blasphemia, aut alio facinore, semper ac omni ratione illicito, quempiã auocare velis, opus est, vt vel*

Q 5 illi-

illicitam blasphemiã, vel illicitum crimen dicas. Quemadmodum igitur, cùm illa diuinæ legis verba audis; Non occides, cædem hominis duntaxat iniquam vetari intelligis; ita etiam intelligas oportet verbis illis; Non facies tibi sculptile &c. impium tantummodo imaginum vsum & cultum, vt diximus, prohiberi.

AT non satis Heerbrando fuerit, quòd imaginum veneratio non prohibeatur in Conc. 121. & 132. &c. *Scripturis: Scripturas requirit, quibus illa etiam probetur. Iam sæpe in superioribus* Cap. 2. *ostensum est, facere ipsum pueriliter & ridiculè, cùm pleraq; humanarum actionum sint genera, quæ licet disertè in scripturis non præcipiantur, aut etiam commendentur, at sunt tamen licita & vtilia. Alioqui quomodo probabunt nobis aduersarij, se rectè facere, quòd imagines Christi & Sanctorum, in templis saltem retinent ad memoriæ vsum? An est aliquis Scripturæ locus, quo disertè institutum hoc vel præcipiatur, vel laudetur? Mitto, verbum Dei latiùs patere, quàm Scripturæ characteres.*

Quod

Quod ex ipsa Scriptura euidenter apparet. Nam verba Christi sunt; [a] *Qui vos audit, me audit, &; Ego* [b] *vobiscum sum (vtique non mutus) omnibus diebus vsque ad consummationem seculi, &;* [c] *Ille vos docebit omnia, & suggeret vobis omnia, quæcunque dixero vobis, hoc est, sine characteribus etiam perferet Spiritus sanctus ad vos verba mea; sicut antè quoque per Isaiam Dominus promiserat: Hoc fœdus meũ cum eis, dicit Dominus, Spiritus meus, qui est in te, & verba mea, quæ posui in ore tuo, non recedent de ore tuo, & de ore seminis tui, & de ore seminis seminis tui, dicit Dominus, amodo & vsque in sempiternum.]*

Quomodo imaginũ cultus verbo Dei nitatur.
a Luc. 10.
b Matt vlt.
c Ioan. 14.
Isaiæ 59.

HÆC igitur & similia Scripturæ testimonia, si nihil aliud esset, sufficere debent, vt intelligamus, imaginũ venerationem, Ecclesiæ voce atque vsu confirmatam, Dei etiam verbo approbari, nec vllum esse institutum ab Ecclesia Catholica receptum, de quo prorsus Scripturæ sileant. Nam generatim certè illud probant, cùm Ecclesiæ auctoritatem, vt Augustinus ait, nobis com-

Li. 1. contra Cresconiũ Grammaticum cap. 25.

commendant. Qua de re cùm alterius loci controuersia sit, non est modò differendum copiosiùs.

VENIAM *ad sententias Patrum, quas Heerbrandus adulterat. Irenæus Carpocratianos hæreticos damnat, nō quòd imagines Christi venerarētur, vt nos, sed quia illas, vnà cum aliis profanorum hominum imaginibus, ritu planè Ethnico & superstitioso colerent, atque adeò vt verisimillimum est, magicè quoque vsurparent. Artes enim illi magicas, vt Irenæus disertis verbis testatur, & incantationes exercebant. Quam superstitionem in iisdem Epiphanius notauit, qui apertiùs ait, ipsos incantationes, & veneficia, & Idololatrias perfecisse. Quanquam non dicit, vt Heerbrandus falsò citat, Carpocratem occultè fecisse imaginem Christi, Pauli &c. Tātùm refert, Carpocratianos imagines quasdam occultè habuisse, quas ipsi dicerent esse Iesu, sub Pontio Pilato factas. Atq; has inquit, Epiphanius cum Pythagoræ, Platonis, Aristotelis, & aliorum Philosophorum imaginibus*

Li. aduersùs hæreses cap. 24.

Eodem capite.

Tom. 2 li. 2. contra hæreses heresi 27.

Conc. 123.

nibus collocatas adorant, & gentium mysteria perficiunt;] hoc est, ita eis sacrificia & cultum adhibent, tanquam in illis aliquid numinis inesset, &c.

EODEM *spectat, quod D. Augustinus perhibet, ex istorum secta fuisse quandam Marcellinam, quæ imagines non tantùm Christi et Pauli, sed etiam (quod Heerbrandus artificiosè texit) Pythagoræ, et Homeri adoraret, vtique profanè ac magicè, sicut eius magistri. Cuius fœminæ priuatam superstitionem narrat quidem illic Augustinus obiter, sed nequaquam genus ipsum venerationis imaginum absolutè (vt Heerbrandus falsariè citat) inter hæreses numerat. Pari ratione quod idem alibi scripsit, ab Ecclesia Catholica damnari sepulchrorum & picturarũ adoratores, ad aliquam superstitionẽ, qua imagines, vel sepulchra pro numine diuino colerẽtur, referendum est. Neq; vnquam Heerbrandus ostendet, eum de hoc ipso genere cultus loqui, quod vniuersa Ecclesia probauit.*

Lib. de hæresibus ad Quoduultdeum hæres. 7.

Conc. 126.

Conc. 126.

Lib. de moribus Ecclesiæ Cathol. cap. 24.

SIC

Li.7.episto-larum epist. 109. ad Serenum.

SIC *B.Gregorius, adorationem imaginum eam tantùm cauendam esse monuit, qua imaginibus ipsis per se, diuinus honor deferatur. Nam relatiuam illam, à nobis*

Li.7. epistolarum epist. 23. ad Secundinum.

suprà defensam, idem certè Gregorius non oratione solùm, sed exemplo etiam suo pulchrè explicauit & asseruit his verbis: Scio equidem, quòd imaginem Saluatoris nostri non ideo petis, vt quasi Deum colas (attendat Heerbrandus, cuiusmodi adorationem alibi vituperet Gregorius) sed ob recordationem filij Dei in eius amore recalescas, cuius te imaginem videre consideras. Et nos quidem, non quasi ante diuinitatem, ante illam prosternimur, sed illum adoramus, quem per imaginem aut natum, aut passum, sed & in throno sedentē recordamur, & dum nobis ipsa pictura quasi scriptura ad memoriam filium Dei reducit, animum nostrum aut de resurrectione lætificat, aut de paßione demulcet. Ideóque direximus tibi imaginem Saluatoris Dei, & Sanctæ Dei genitricis &c.]

Qua ratione Gregorius veneratus sit Christi imaginem.

IAM

IAM Clemens Alexandrinus, aduersùs gentium simulachra tantùm disputat, quæ vel diuinitatem continere putarentur, vel ad viuum illam referre, vel arte fallaci, fierent, & accommodarentur ad vsum magicum, vel denique adorarentur ipsa pro DEO. Quanquam Heerbrandus quædam ex hoc Clemente citat, quæ non reperiuntur in illius operibus.

Ita apparet ex eiusdem li.6. stroma. sub finem, & oratione adhortatoria ad gêtes.

Conc. 124.

EPIPHANIVM concidisse velum, in quo esset Christi imago, sensisséque imaginum vsum ac venerationem esse superstitiosam, commentitium plerique, non sine ratione arbitrantur. Nam si ea epistola, vel certè fragmentum eius, in quo id narratur, Epiphanij esset, neutiquam illud præteritum fuisset ab Iconomachis in septima Synodo, qui adeò huius Epiphanij auctoritatem, contra imaginum vsum opponere cupiuerunt, vt testimonium etiam nescio quod à Manichæis confictum, illius simulato nomine, contra imagines produxerint.

Vt refert Heerbrãdus Conc. 125. ex quadam epistola ad Ioan. Hierosolymitanũ Patriarchã.

Sicut apparet ex ea Synodo actione 6. tom. 5.

Li. 9. epistolarum, epist. 9. quæ idem ferè cõtinet, quod epist. 109. li. 7. ad eundem Serenum Episcop. Massiliensem.

ACCEDIT, quòd B. Gregorius, cùm Serenum Episcopum reprehenderet quòd imagines confregisset, inter alia sic illum vrget: Dic frater, à quo factum Sacerdote aliquando auditum est, quod fecisti? Hoc certè credibile non est, tantum Pontificem in graui causa Episcopi dicturum adeò confidenter fuisse, si Epiphanius, & ipse Episcopus, ac Doctor celebratißimus, simile facinus vnquam designasset. Neque enim potuisset exemplum hoc temporibus illis vsq; adeò ignorari. Assuta videtur igitur illa epistola, vel certè fragmentum illud epistolæ, non modò Epiphanij operibus, sed etiam Hieronymianæ versioni. Quãquam si maximè factum illud Epiphanij exploratum esset, nonne plus ponderis apud nos Ecclesiæ totius auctoritas atque vsus habere debet?

Conc. 122.

Et cur Heerbrandus, non obstante auctoritate atque exemplo Epiphanij, fatetur, vsum imaginum historicum in Ecclesiâ tolerabilem esse? Certè si epistola illa, quæ fertur Epiphanij, tam irrefragabilis auctoritatis est, quàm Heerbrãdus esse vult; non

non magis ipsi & collegis licebit imagines omnino retinere, quàm nobis easdem venerari. Siquidem in illa Epiphanius, & concidisse imaginem, & prorsus imaginum omnem vsum damnasse perhibetur. Quare non contra nos modò, sed contra se suosq́ Heerbrãdus pugnat, cùm Epiphanij auctoritatem hoc loco tantopere vrget.

IAM *quod præterea narrat de Francfordiana Synodo; in qua sub Carolo Magno Synodus 7. hoc est, altera Nicena, quæ venerationẽ imaginum asserit, damnata fuerit, merũ Euangelicorũ figmentũ est. Nam Synodus verè Francfordiana sub Carolo Magno habita, non damnauit hanc septimam Synodum, pro imaginibus sub Constantino & Irene Niceæ celebratam, sed aliam pseudosynodum, Constantinopoli ab Iconomachis habitam contra imagines; quam ipsi quidem Septimam generalem appellari voluerunt. Quod cùm ab aliis sufficienter demonstratum sit, non est necesse, nunc idem pluribus probare.* Conc. 134. Vide Alanũ Copũ dialogo 4. & 5.

SVPERSVNT *Augustini testimonia duo, quæ cùm in altera disputatione euidēter ostenderim, nihil omnino aduersari venerationi imaginum, magna profectò est Heerbrandi pertinacia, quòd illa rursum opponere non est veritus. Primò igitur inter Idololatriæ genera, ab Ethnicis vsurpata, vnum commemorat Augustinus his verbis: Videntur autem sibi purgatioris esse religionis, qui dicunt, nec simulachrū, nec dæmonium colo, sed per effigiem corporalem eius rei signum intueor, quam colere debeo: Ita verò interpretātur simulachra, vt alio dicant significari terrā, vnde templum solet appellari Telluris, alio mare, sicut Neptuni simulachro, alio ignem, sicut Vulcani &c. Quorum simulachris eadem nomina sicut telluris imponunt. De quibus rursus cùm exagitari cœperint quòd corpora colant, maximeq́ terram & aërem & ignem &c. respondere audent, se non ipsa corpora colere, sed quæ illis regendis præsident, numina.*

Cap. 5.

Conc. 146. & seq.

Super Psal. 113.

HOC

HOC *loco perspicuum est, eorum Ethnicorum Idololatriam ab Augustino notari, qui vt suprà recensuimus, ad varias mundi partes accommodabant simulachra:* Cap. 4. *Quas quidem diuinis honoribus afficiebant non per se, sed quia falsò arbitrabantur, aliquid, quod ipsis tanquam forma vel anima cohæreret, esse mentem diuinam, quæ varias in partes diffusa distributaque mundum regeret. Vnde fiebat, vt creaturam insipienter venerarentur illi pro Deo. Nam quicquid diuisum est, & mundi partibus tanquam forma cohæret, creatura est, vt suprà dicebamus. Manifesta igitur calumnia est, locum hunc accõmodare velle ad Catholicos, quos probè scit Heerbrandus diuinum honorem in veneratione* CHRISTI *imaginum vsurpatum, non ad numina phantastica, vt illi Ethnici, sed ad Christum Deum verum ac Dominum nostrum referre.*

*A*T *inquit, similitudo est, 1. quòd pontificij cultum ad prototypum referunt, vt illi faciebant. Imò Idololatria & impie-* Conc. 147. & 249.

tate inquit, Ethnicos illos longè superant, quòd non repræsentatum tantùm per effigiem corporalem, vt illi, sed etiam imagines ipsas, eadem specie cultus colunt. 2. Papistæ, aliis simulachris, alios Deos, vt illi, repræsentari dixerunt: Diua virgo Maria, vt magna Deûm olim mater, misericordia, vita, dulcedo, &c. 3. Simulachris eadem nomina Diuorum imposuerunt, Hæc est Diua MARIA, *hic Sanctus Ioannes &c. 4. Vt Ethnici, ita hi quoque ait, hoc nomine exagitati, quòd lignum, lapides, &c. colant, longè Ethnicis absurdiora & magis impia & Idololatrica respondent, non modò non negantes, vt illi, corpora illa; id est, imagines se colere, sed etiam eadem specie cultus, qua repræsentatum.*

Depulsio calumniarum Heerbrãdi.

Quì differat veneratio sacrarũ imaginum, à superstitione Ethnicorum.

*V*E L *iocatur Heerbrandus, vel desipit, vel mentitur. Vtar et ego numerorũ notis, vt eo breuiùs vanissimam cauillationẽ repellam, & lector faciliùs discernat, quid cuique respondeat. 1. Ethnici illi non eo ipso Idololatræ fuerunt, quòd cultum diuinum imagi-*

imaginis ad prototypum referebant; sed quia referebant ad prototypum, quod erat creatura. Hoc cùm nos non faciamus, nequaquam, vt illi, sumus Idololatræ. Neque ipsi, eo modo profitemur adorare nos Christi imagines, quo illi adorare se simulachra negabant, videlicet secundùm se. Etsi enim cultum diuinum in illarum veneratione vsurpemus, ad Christum tamen referimus eum, vt suprà explicatum est.

2. NON succurrit aliud vocabulũ ad significandum quod volo, præterquam (mendacium). Et quòd illud conueniat, facilè intelliget lector ex dictis suprà, in loco de Sanctis. 3. Sacræ Scripturæ phrasis est illa. Nam Angeli propter similitudinem, quam præferebant virorum, [a] viri nominantur: tum etiam effigies boum, leonum, & cherubim, boues, [b] leones, & cherubim absolutè dicuntur: & nihil vsitatius, quàm vt simulachrum Cæsaris, Cæsar, Ciceronis Cicero appelletur. Neq; ideo illi Ethnici fuerunt Idololatræ, quia simulachrum Telluris, Tellurem appellabant; sed quia per id

Cap. 6.

a Gen. 8.

b 3. Reg. 7. Et de cherubin habetur etiam Exod. 25. & 37. Num. 7. &c.

ſimulachrum referebant diuinum honorẽ ad creaturam. 4. Negabant quidem illi Ethnici, ſe ad imaginem ipſam diuinum honorem referre, ſed fatebantur tamen, referre ſe illum ad aliud quiddam, quod erat reuerà creatura; id quod fuit impium. Ipſi autem in veneratione CHRISTI *imaginum, honorem diuinum ſic vſurpamus, vt per illum, non ipſis imaginibus per ſe, ſed Chriſto illis repræſentato exiſtimationẽ velimus conciliare diuinam; atque eatenus docemus, eum honorem ſpectare ſuo modo ad imaginem. Quod ſuprà demonſtrauimus, neque abſurdum, neque impium, neque Idololatricum eſſe.*

In eundem Pſalm. 113. *A*LTERVM *teſtimonium Auguſtini ſic habet; Quis autem adorat vel orat, intuens ſimulachrum, qui nõ ſic afficitur, vt* Cap. 5. *ab eo ſe exaudiri putet?] Oſtendi in priori diſputatione, ſententiã Auguſtini hoc loco non eſſe, neminẽ omnino poſſe adorare vel orare intuendo in ſimulachrum, quin continuò habeat illud pro* DEO, *(cui enim hoc Auguſtinus perſuaſiſſet?) ſed contra*

quoſdam

quoſdam tantùm gentiles ipſum agere, qui ſimulachra ſic venerabantur, vt facto ipſo oſtenderent, ea ſe rebus illis anteponere, quas per ipſa ſignificabant. Nam vt illic Auguſtinus ſubiicit, adorantes ſimulachrũ Solis vel Maris, tergum ipſi Soli & Mari vertebant; quaſi maior eſſet in his virtus, quæ ſimilia hominum eſſe videbant, quàm in Sole & in Mari, ſenſus & figuræ humanæ expertibus.

DE illis igitur, qui ita peruersè adorarent ſimulachra, Auguſtinus loquens ait, Quis autẽ (eiuſmodi videlicet hominum) adorat vel orat intuens ſimulachrum, qui non ſic afficitur, vt ab eo ſe exaudiri putet?] Ex hoc concluſi, hunc Auguſtini locum Caluino[a] *quidem aduerſari, qui impudenter contra*[b] *Scripturam neget, vel Iſraëlitas olim, vel vllos Ethnicos habuiſſe pro DEO ipſa ſimulachra, (quod placitum*[c] *Heerbrandus etiã, etſi furtim ac timidè, inſinuat ſe probare) ad nos autem nihil pertinere; quippe cùm minimè, ſicut illi Ethnici, pluris faciamus imagines, quàm prototypum,*

a Li. 1. inſti. c. 11. præſertim, ſect. 9.
b Exod. 32. Sapient. 13. & 14. Pſal. 113. Eſai. 41. & 44. Oſeæ 8. Amos 5. Act. 7. 1. Cor. 8. & 12. &c. Vide diſpu. noſtrá ca. 5.
c Conc. 24. vbi pro Caluino obiter allegat quod pro, Exod. 32. dixerit cras eſt ſolẽnitas Domini; non vituli. Sed ſtultũ valde eſt, ex eo quòd vitulum DEI nomine affecerint, colligere, illos nõ habuiſſe vitulum pro Deo.

 typum,

typum neque in ipsis, tanquam in Diis, collocemus nostram spem, vt hæretici nobis obiiciunt.

a Conc. 151. HIC [a] *Heerbrandus, valde religiosè scilicet, Optandum sanè esset inquit, mendaciter ista à nobis obiici aduersariis. Imò verò optandū esset Heerbrande, vt aliquando tandem desineres mendaciter ista obiicere, salutiq́; tuæ prospiceres, & ad Ecclesiàm redires, qui iam senex es, breui daturus perfidiæ pœnas, nisi tempestiuè resipiscas. Nam quòd de peregrinationibus ad Diuos opponis,* [b] *in altera disputatione* [c] *respondi, nequaquam illas esse argumento, quòd Catholici Diuorum imagines pro Diis habeant, vt* [d] *Caluinus etiam (cuius tu quidem studiosus videris, quantumuis* [e] *dissimules) nugatus est: sed quòd certa illi experientia nouerint, singulariter quibusdam in locis Diuos quosdam, per eorundem imagines, venerantibus solitum esse Deum præclara impertiri beneficia. Quod ille quidem magno consilio atque prouidentia facit, vt ea ratione, quæ ad humanam conditionem est*

b In illa cōc. c Cap. 5.

d Lib. instit. cap. 11.

e Cōc. 147.

accom-

accommodatiſſima, creſcat & accendatur magis fidelium deuotio atque pietas.

QVOD ſi maximè verùm eſſet, Heerbrande, quod ais, aliqua miracula in vſu imaginum eſſe ab impoſtoribus ſimulata, hoc quidem nihil detrahit miraculis veris, quæ multa[a] *acciderunt, neque veneratio imaginum propterea eſt abolenda. Quid enim eſt tam religioſum, tamq́; vtile, quo non interdum homines peruerſi ad ſcelus abutantur? Sanè minimè conuenienter Eccleſia faceret, ſi Sacramenta diuinitus inſtituta, & ſacram Scripturam ideo abiiceret, damnaretq́;, quoniam vos iſta ſacrilegè tractatis.*

a Vide Germanum Patriarcham Conſtantinopolita. in epiſtola ad Thomam Epiſcopum Claudiopoleos.

AT cùm imagines, vel Crux Dominica benedicitur in Eccleſia, orationes quædam adhibentur (nam & hoc quoq́; obiicit Heerbrandus) quæ indicant, Catholicos ab ipſa Cruce, & imaginibus ſperare ſalutem, Ethnicorum more, qui dicebant ligno, libera me, quia Deus meus es tu. Reſpondeo, in Pontificiali Romano, quod Heerbrandus citat, eas ego hac de re orationes inueni, ex

Conc. 138. & deinceps.

Iſai. 44.

quibus euidenter apparet, non esse eam Ecclesiæ Catholicæ mentem. Et quoniam precationibus delectatur Heerbrandus, non erit abs re has proferre, vt sint veluti antidotum earum, quas Heerbrandus in disputatione sua partim comminiscitur, partim peruersè interpretatur.

IGITVR *in benedictione Crucis, commemorata priùs Christi passione, sic dicitur: Te supplices exoramus, vt hoc singulare signum, quod ad exemplum primi illius sacratissimiq́ vexilli, quo pretioso sanguine filij tui triumphasti, fidelium tuorum deuotione compactum erectumq́ est, tua cœlesti benedictione sanctificare digneris,* VT OMNIBVS HIC GENV FLECTENTIBVS, AC TVÆ MAIESTATI SVPPLICANTIBVS, *largior & cordis compunctio, & admissorum concedatur remissio; atque intercedente ipsa victoriosissima vnigeniti filij tui passione, & tibi placita postulare, & citiùs valeant postulata percipere.* DA, QVÆSVMVS, CLEMENTISSIME PATER, IN QVO VIVIMVS, MOVE-

Orationes quas Catholici ante Crucē fundunt, non ad Crucē ipsam sed ad Deum dirigunt.

Non ligno, sed Deo dicimus; pater meus es tu.

MOVEMVR, ET SVMVS, *vt quoties triumphum diuinæ humilitatis, quæ superbiam nostri hostis deiecit, oculis intuemur, quotiesq́ue mente recolimus, & contra hostem ipsum, fiduciam fortitudinis, & maiorem tibi deuotæ humilitatis gratiam consequamur. Quatenus in illo tremendo tuæ maiestatis examine, cùm pauentibus elementis, cælorumq́ue tunc commotis virtutibus, signum istud glorificum redemptionis nostræ apparuerit in cælo, ipsi de morte ad vitam transire, ac perpetua beatæ resurrectionis videre gaudia mereamur.* PER DOMINVM NOSTRVM IESVM CHRISTVM FILIVM TVVM, *&c. Item dicitur: Sanctificetur istud lignum in nomine Patris & Filij & Spiritus sancti: & benedictio illius ligni, in quo sancta mēbra Saluatoris suspensa sunt, sit in isto ligno,* VT ORANTES INCLINANTESQVE SE PROPTER DEVM ANTE ISTAM CRVCEM, *inueniant corporis & animæ sanitatem. Per eundem Dominum nostrum* IESVM CHRISTVM, *Amen.*]

HINC

HINC perspicuum est, cùm aliàs ipsa Crux appellatur remediũ et redemptio etc. loquutiones has accipiendas esse relatiuè, vt scilicet intelligantur pertinere ad passionẽ, & mortem Domini, signo Crucis repræsentatam. Item liquidò ex his constat, Catholicos non ipsi Cruci, quod ad rem attinet, supplicare, sed Deo, coram illa. Neque verò lignum Crucis, aut imaginem sanctificari vel benedici, hoc loco aliud est, quàm solennibus precationibus fusis ad Deum, destinari ad pium vsum fidelium, vt nimirum coram illis religiosè atq; vtiliter Deo, propter merita Christi, supplicent: quod ex iisdem orationibus apparet.

Quid sit apud Catholicos lignum crucis, vel imaginem sanctificari ac benedici.

EADEM omnino sinceritas in benedictione imaginum aliarũ elucet. Nam Beatissimæ Virginis imago hac oratione benedicitur: Omnipotens sempiterne Deus, clementissima cuius dispensatione cuncta creantur ex nihilo, hãc imaginem IN HONOREM PIISSIMÆ GENITRICIS *Filij tui Domini nostri Iesu Christi, venerabiliter adaptatam, benedicere & sanctificare digne-*

Imaginum in Ecclesia institutum ad prototypi honorem pertinet.

digneris; ET PRÆSTA, MISERICORDISSIME PATER, PER INVOCATIONEM NOMINIS TVI, ATQVE EIVSDEM VNIGENITI *FILII* TVI *DO*MINI NOSTRI *IESV* CHRISTI, *quem pro salute generis humani, integritate virginis Mariæ seruata, incarnari voluisti*, QVATENVS PRECIBVS EIVSDEM SACRATISSIMÆ VIRGINIS, QVICVNQVE EANDEM MISERICORDIÆ *R*EGINAM ET GRATIOSISSIMAM *D*OMINAM NOSTRAM, CORAM HAC EFFIGIE SVPPLICITER HONORARE STVDVERIT, *de instantibus periculis eruatur, &c.* PER EVNDEM *DO*MINVM NOSTRVM *IESVM* CHRISTVM, *&c.*

Catholici in primis Deũ & Filiũ eius Iesum Christum inuocant.

Non ab ipsa imagine qd. quã petunt, sed corã imagine B. Virgini supplicant, vt tantùm intercedat suis precibus.

PRO *benedictione imaginum aliorum Sanctorum, hæc tantùm oratio communis ponitur: Omnipotens sempiterne Deus, qui Sanctorum tuorum imagines seu effigies sculpi aut pingi non reprobas, vt, quoties illas oculis corporeis intuemur, toties eorũ actus & sanctitatem ad* [a] *imitandum memoriæ*

In quem finem Ecclesia referat vsum imaginum.

a Si hoc studio tenerentur aduersarij maiorem honorem haberent Sanctis & eorũ imaginibus.

moriæ oculis meditemur, hanc, quæsumus, imaginem seu sculpturã IN HONOREM AC MEMORIAM *B*EATI. *N. Apostoli tui vel Martyris, vel Confessoris, aut Pontificis, aut Virginis, adaptatam, benedicere ac sanctificare digneris. Et præsta,* VT QVICVNQVE CORAM ILLA IPSVM GLORIOSISSIMVM *A*POSTOLVM *tuum vel Martyrem, vel Confessorem vel Virginem suppliciter honorare studuerit, illius precibus ac obtentu à te gratiã in præsenti, & æternam gloriã obtineat in futuro.* PER *D*OMINVM NOSTRVM *I*ESVM CHRISTVM *F*ILIVM, *&c.*]

COLLIGAT *ergo Heerbrandus hinc sensum, ad quẽ accommodare debeat aliarum orationum verba. Quanquam illa*
Conc. 142. *precatiuncula (quam ille refert) ad Veronicam: Nos perduc ad patriam ô fœlix figura, ad videndam faciem, quæ est Christi pura, &c. sicut & nonnullæ aliæ, apocripha videtur. Posset autem & huius item esse sensus, vt Christus, cuius beatum atque felicem vultum ea figura refert, fideles in hoc*

hoc exilio peregrinantes, ad cœlestem aliquando patriam perducat, vt ipsius augustissimo conspectu, quo ne Angeli quidem 1. Petri 1.
satiari possunt, perfruantur. Quamobrem desinat Heerbrandus aucupari verba, sensum attendat, & non sit, vt hactenus, interpres malitiosus.

VT IMAGINIBVS, SIC ETIAM SACRIS RELIQVIIS HONOREM adhiberi sine crimine Idololatriæ.

CAPVT VIII.

VISVS Heerbrãdo [a] *sum in disputatione* [b] *altera, valde callidè (vt ille ait) probauisse,* a Conc. 153. b Cap. 5.
Catholicos, venerãdis sacris reliquiis, nequaquam adhibere diuinum honorem creaturæ sicut DEO. *Attendat obsecro lector, Vtrum hæc à me callidè disputata fuerint: Reliquias sacras duplici ratione venerari dicimur. Primò, quoniam* Duplex ratio venerandi reliquias.
ipsas

ipsas per se reuerenter tractamus, & custodimus, & suspicimus &c. eò, quòd sanctorum hominum, (qui viua membra Christi, & Spiritus sancti templum fuerunt) aut corpora sunt, aut corpora attigerunt, aut etiam extiterunt partes. Secundò, veneramur illas quoque relatiuè, eodem cultus genere, quo illos, quorum sunt reliquiæ, cùm videlicet, reliquiis præsentibus, in illos animum intendimus, adeoq; cultum omnem corã reliquiis vsurpatũ, ad ipsos referimus.

Nullo modo venerandis reliquiis trãsferri ad creaturã honorem DEI proprium.

PRIORI *reliquias venerandi modo, cùm nihil omnino diuinum adhibeatur, satis constat, honorem diuinum creaturæ non tribui sicut Deo. Posteriori autem, cùm reliquias sacras relatiuè etiam, vt imagines, (quamuis fundamentum relationis, non idem penitus existat vtrobique) veneremur, non magis diuinum honorem creaturæ, sicut Deo, deferimus, quàm cùm colimus imagines. Primùm enim vt honor, quo Sãctorum imagines veneramur, diuinus non est, sed ille idem, quo Sanctos ipsos, sic etiam neq; is, quo relatiuè veneramur eorundem reliquias.*

AD

AD honorandum autem relatiuè lignum Crucis, cui Christus affixus est, & si quid aliud est reliquum, quod peculiari ratione ad Christum pertinuit; quamuis Latriam vsurpemus, non illā tamen ad ipsum lignū, similésue Christi reliquias secundùm se, sed ad Christum ipsum, verum Deum referimus, sicut illam etiam, quam in veneratione eiusdem Christi imaginum adhibemus. Itaq; non ipsis per se reliquiis diuinitatis propriam opinionem conciliare volumus; sed Christo, ad quem illæ habent singularem relationem. Cuius quidem rei prudenter admodum nos admonuit Diuus Ambrosius, qui cùm diceret, Helenam, inuenta cruce Dominica, adorauisse Christū (vtiq; coram illa) eamq; crucem leuauisse in capite Regum, vt in Regibus adoraretur: Item clauos Christi in honore habitos; illud ait tamen, Helena non lignum vtique adorauit (intellige, secundùm se) quia hic gentilis est error & vanitas impiorum, sed adorauit illum, qui pependit in ligno, scriptus in titulo;] hoc est, ad Christum ipsum

Quomodo adoretur sacrum lignū Crucis.

In oratione de obitu Theodosij Imperatoris.

S *sum*

ſum adorationem coram Cruce adhibitam retulit. Quòd igitur venerandis in hunc modum relatiuè ſacris reliquiis, aut Chriſti, aut Sanctorum, minimè tribuamus creaturæ honorem diuinum, ſicut Deo, iiſdē prorſus rationibus euincitur, quibus ſuprà demonſtratum eſt, minimè nos id facere colendis imaginibus.

QVA quidē in re ita breuiter tradenda,
Conc. 158. non ego ſanè callidus fui, vt ait Heerbrandus; ſed ille potiùs in eadem oppugnanda
Conc. 156. partim ineptus, partim ſubdolus. Ineptus, quòd vrgere pergat, venerationem reliquiarum diuinis literis non præſcribi. Item Idololatriam veram non eſſe tantùm, vt nos dicimus, exhibere creaturæ diuinum
Cap. 1. & 2. honorem ſicut Deo. Arundinea iſta tela iam ſuprà vſque ad atomos comminuta ſunt.
a Geneſ. 50. b Actor. 8. Quanquam nec [a] Ioſephi, neque [b] Stephani corpus tractari abſque aliqua reuerentia ſic potuit, vt Scriptura commemorat, quicquid tergiuerſetur Heerbrandus.

Conc. 159. AT inquit, aliquot ſæculis communi matri terræ ſunt commendata funera. Quaſi

Quaſi verò nos ſepultura priuandos eſſe defunctos contenderemus. Aliud eſt, recens mortuos non ſepeliri; aliud, Sanctorum defunctorum corpora, aut reliquias, vel in ſepulchris, vel in capſulis cuſtoditas haberi in honore, coramipſisq́ Sanctorum patrocinium ſingulari deuotione implorari. Quod pietatis genus non ſolùm auctoritate & vſu Eccleſiæ, ſed etiam exemplis mirabilibus confirmatum eſt. Neque ad rem facit, quòd Auguſtinum & Chryſoſtomum, Heerbrandus refert, reprehendere eos, qui Euangelij verba è collo ſuſpenſa geſtant. Quanquam non aliud volunt illi patres, quàm quòd Dei verba præcipuè ſint in corde circumferenda.

Lege B. Ambroſ. epiſto. 85. ad ſororé. & B. Auguſt. lib. 22. de ciuit. Dei cap. 8. & deinceps.

Conc, 158.

HACTENVS *Heerbrandus ineptus; in eo verò pueriliter ſubdolus, quòd teſtimonium Diui Auguſtini quoddam ſic citat, vt videatur ille dixiſſe, malè factum eſſe, quòd terra, ex ſepulchro Domini comportata, defoſſa fuerit in loco, qui ad orationum, & aliorum ſacrorum vſum deſtinaretur; cùm*

Conc, 164.

tamen adeò non hoc dixerit Augustinus, vt etiam probauisse se id factum cõfirmauerit, subiiciens miraculum, quod eo in loco diuinitus contigit. Hæc enim sunt ipsius verba:

Lib. 22. de ciuit. Dei cap. 8.

Fortè accidit, vt ego, & collega tummeus, Episcopus Sinicẽsis Maximinus, in ꝓximo essemus, vt veniremus rogauit (qui terrã sanctã habebat) & venimus. Cumq́; nobis omnia retulisset, (quomodo scilicet spectra ex ipsius ædibus fugata fuissent) etiam hoc petiuit, vt infoderetur alicubi (terra illa sãcta) atq; ibi orationũ locus fieret, vbi etiã possent Christiani ad celebranda, quæ Dei sunt, cõgregari. Non restitimus, inquit Augustinus, factum est. Tum subdit; Erat ibi iuuenis paralyticus rusticanus, qui hoc audito, petiuit à parentibus suis, vt illum ad eum locum sanctum non cunctanter afferrẽt, quò cùm fuisset allatus, orauit, atq; inde continuò pedibus suis saluus abscessit.]

Conc. 164. ANIMADVERTAT *nunc lector, qua fide, & quo contextu orationis Heerbrandus hæc, quæ sequuntur, verba coniungat. Non restitimus (inquit Augustinus) factũ est.*

est. Sed certè malè factum est. Et idem alibi: Talia multa, propter quarũdam vel religiosarum, vel turbulentarum personarũ scandala deuitanda, liberiùs improbare nõ audeo. Sed iterum malè. Hactenus Heerbrãdus. Ex quo ego quæro, vtrùm illa verba (sed certè malè factum) interposuerit tãquam Augustini, an, tãquam sua? si tanquã Augustini, falsarius fuit: Si tanquam sua, impostor, qui orationis serie voluerit incautum lectorem decipere, vt facilè putare posset, ea verba esse Augustini. Nam quòd ipse illis verbis voluerit potiùs temerè reprehẽdere Augustinum, quòd in illud factũ consenserit, potest quidem vtcunque colligi ex his, quæ initio illius thesis dixerat, sed non adeò facilè. Deinde etiam quæro, cur non citauerit Augustini locum, vbi ille dicat, se talia, hoc est, venerationem reliquiarum, propter scandalum vitandum permittere? Vtrum erat facilius, locum indicare, an in margine maiusculis, quod Heerbrandus fecit, ponere, NOTA BENE. Certè si sententia illa Augustini est, & ad

Heerbrandi fraus.

propositum spectat, illud potiùs, quàm hoc Heerbrandus debuit facere, ne fidem suam suspectam hac in parte redderet.

Conc. 163. *EST etiam illa manifesta fraus, quòd significat, dixisse me, pro reliquiis Sanctorũ habenda esse omnia ea, quæ reliquias alias attigerint; quasi illarum attactu sanctitas affricari possit. Nunquã hoc in mẽtem mihi venit. Cùm enim explicaui, reliquias honorare nos, quoniam Sanctorum aut corpora sunt, aut extiterunt partes, aut eorũ certè corpora attigerunt, de attactu viuorum corporũ locutus sum, nõ mortuorum.*

In disputatione cap. 5.

Conc. 162. & 173. *QVARE, quæ Heerbrandus malignè præterea commentatur de plaustris adulterinarum reliquiarum, quæ ex attactu verarum sanctificatæ sint, fabulæ sunt, ab Heerbrando & similibus confictæ. Neq; tamen nego, aliquos in hoc genere abusus ac fraudes etiam potuisse irrepere. Sed Ecclesia pium ipsum venerandi reliquias institutum per se probat, abusus non probat; quinimo diligenter cauet. Et iam suprà dictum est, nihil esse tam sanctum, quo nequã*

Vide in cõc. Trid. sessione 25.

homines

homines aliqui non poßint abuti. Quam rem si considerasset Heerbrandus, non adeò scurriliter & leuiter disputationem suam conclusisset historia illa, ab aliquo scurra lepidè conficta, de impostore, qui fœnum ex stabulo acceptum, illud ipsum esse mentitus fuerit, in quo Christus recens natus iacuerit: Item, qui dixerit habere se pennam ex ala S. Michaëlis. Potuisset etiam pari vanitate nobis obiicere, quod quidam fingitur dixisse, habere se particulam ex dente omnium fidelium animarum: Item aliquid ex oleo quinque virginum prudentum, & similes nugas.

FACERET *profectò Heerbrandus multò prudentiùs, si isthæc ludicra ac ridicula tandem relinqueret, cogitarétque in conspectu Dei & Domini nostri Iesu Christi, seriò de morte vicina, de diuino iudicio, de pœnis acerbißimis, quas per omnem æter nitatem daturus est, si veritatem toties auditam contempserit.*

CÆTERVM *vt ille, deposito errore, quo iam occalluisse videtur, ad cor redeat,*

diuina virtute opus est. Nos certè, quod instituti nostri erat, iuuante Deo effecisse videmur, hoc est, argumentationem illam, initio positam confirmauimus, qua Ecclesia Catholica (vt ad huius disputatiõis themá redeam) verissimè & planissimè ab Idololatriæ nota vendicatur, hoc modo; Idololatria [a] *est, diuinum honorem creaturæ, tanquam Deo, adhibere: Ecclesia Catholica, cùm sanctissimam Eucharistiam, Sanctos, sacras imagines, & reliquias veneratur, aut exercitationes alias spontanei cultus* [b] *suscipit, minimè diuinum honorem creaturæ, vt Deo, habet: Non igitur admittit Idololatriã, sed illi potiùs quasi* [c] *scelus Idololatriæ, & quasi peccatum ariolandi committunt, qui pertinaciter nolunt Ecclesiæ obedire, & eius monitis acquiescere. Dominus secundùm magnam misericordiam suam benignè illos aliquando respiciat, & illuminet eorum tenebrosa corda, Amen.*

Summa disputationis totius.

a Vt suprà ca. 1. & 2. & 3. & 4.

b Vt probatum est c. 5. 6. 7. & hoc 8. & de cultu c. 2.

c 1. Reg. 15.

LAVS DEO ET DEIPARAE.

CON-

CONFVTATIO CALVMNIARVM SPONGIÆ.

PRÆFATIO AD PIVM LECTOREM.

CVM primùm Heerbrandi Spongiam, hoc eſt, diſputationem leuitatis pleniſſimam, aduerſùs noſtrum de Idololatria Apologeticum perlegi, planè ſuſpicatus ſum, eum non tantùm ex ignorantia, vt ſolet, verùm etiam de induſtria ineptè ſcribere inſtituiſſe, vt eò faciliùs & à me cõtemneretur, & ipſe, ſi reſponſum nullum acciperet, gloriari poſſet, à ſe victum me fuiſſe. Quam ſuſpicionem meam rumor etiam auxit, qui eſt ad nos de iſtius, in eo genere, conſueta vanitate certò

perlatus. Nam cùm à nõnullis hominibus doctiſſimis, quos ille petulanter adortus fuerat, meritò ſperneretur, & reſponſione indignus veriſſimè iudicatus eſſet, tum ille vt eſt, & ob hæreſim elatus, & inſigni, vt apparet, ſtultitia præditus, non modò victorẽ ſe exiſtimauit, ſed magna etiam cum leuitate iactauit pro concione. Ac niſi ego quidem hanc iſtius petulantiam reſciuiſſem, omnino permiſiſſem hominẽ ea ratione nunc etiam eſſe victorem, id eſt, cùm reſponſum non mereatur, reſponſum illi nullum dediſſem. Sed cùm illius impudens vanitas mihi, vt dixi, explorata iam ſit, prouidere debeo, ne quid fortaſſis ex illa culpæ ad me deriuari poſſit, ſi prorſus tacuero.

Prætereo illũ vix ſemel ſententiam meam fideliter retuliſſe: vnde & loca Apolog. rariſsimè citauit, ne Lector fidem ipſius nõ bonam poſſet dep̃hẽdere.

EXPRIMAM igitur & expediam ea, quæ iſte ſpõgia ſua eſt complexus, calumnias nempe & mendacia, & diuinæ Scripturæ corruptelas, quibus turgida ſpongia eſt, quæque ita vbertim,

tim, si paululum comprimatur, fundit, vt cùm illam vix in manus sumpsissem, manus mihi propemodum compleuerit. Nam ampliùs centum mendacia bona fide, dum legerem, in margine annotaui. Quæ cùm omnia sint deprehensu facillima, tum illud est maximè perspicuum, quod sub initium suę prefationis iste, quoniam erat insigne, tãquam in acie primum collocauit. Scripsit enim impudenter, me tum in priori disputatione, tum etiam in Apologetico; ne gry quidem, sicut ipse loquitur, ad confirmanda mea dogmata ex diuinis literis protulisse. Quod si ego Disputationem, & Apologeticum de Idololatria eo consilio scripsissem, & testimoniis etiã diuinæ Scripturæ confirmassem, vt ad istius tantùm manus peruenirent, putarem, quòd scripturas me attulisse negat, à mendacij illũ improbitate solùm non abhorrere: Nunc autem cùm iste non ignoraue-

rit,

rit, ſcripta illa cũ aliis etiam me communicare voluiſſe, qui videbunt, niſi cæci ſint, plurimis etiam Scripturæ teſtimoniis me aduersùs eum depugnauiſſe, quid de ipſo ſentire poſſum, niſi quòd ne infamiæ quidem dedecus perhorreſcit? Sed certamina, quæ cum veritate Heerbrandus acriùs multò, quàm mecum, iniuerit, cùm multa mihi, vt finire poſſim, neceſſariò prætereunda ſint, multa nihilominùs ſuis locis poſtmodum recenſebo. Illud fortaſſis non tam falſi notam meretur quàm leuitatis, quòd credidit homo iſte leuiſſimus rem incredibilem; nempe me, vbi primùm reſciuiſſem, diſputationis ipſius vnũ aut alterum exemplum, huc ad Lutheranos quoſdam ſtudioſos perlatũ eſſe, ſub pœna Excommunicationis maioris (ita enim ipſe narrat) eius lectione publicè omnibus interdixiſſe, habitaque inquiſitione exempla omnia collegiſſe, ne quis videre poſſet.

In præfatione ſpong.

Quaſi

Quaſi verò vel pœnam ego excommunicationis maioris decernere poſſim, vel excommunicatione̅ ſtudioſi Lutherani extimeſcant, quibus fuiſſent, cùm illi ſoli haberent, exempla diſputationis eripienda.

IACTAT, aliorum Hæreticorum more, magno cum faſtu ſacras literas, quarum auctoritate & ſententia ſe prorſus niti, & quæ diſputat, confirmare aſſeuerat: Cui, & gregalib. eius, illud Apoſtoli Pauli optimo iure poſſis obiicere: An à vobis verbum Dei processit, aut in vos ſolos peruenit? 1.Cor.14.
Quaſi verò ante illos neque ſonuerit vnquam, nec auditum fuerit verbum Dei in Eccleſia, aut nos illud contemneremus, aut ex ipſo diſcere nequiremus, quæ Heerbrandus, magno & excellenti ingenio vir, conſequitur: Nam quòd ipſo etiam verbo Dei admoniti, rationem quoque, & Eccleſiæ ac Patrum auctoritatem noſtris in diſputationibus adhibemus, non

ideo facimus, vt, ſpreta auctoritate diuina, humanam commendemus, ſtatuamusque; ſed vt doceamus, Sectarios, non verbo Dei atque auctoritate diuina, ſed humana eaque perexigua & ipſorum propria niti; cùm tenui ac rudi, & ſuperbia deinde excæcato iudicio ſuo cõfiſi, diuinis verbis non eam ſententiam ſubiectam eſſe iudicant, quam Eccleſię Patrumque iudicium, ac recta ratio veriſſimè nobis tanquam diuinam oſtendunt, ſed quàm ipſi falsò comminiſcuntur. Ex quo fieri antea etiam dicebam, vt miſeri iſti atq; imperitiſſimi homunciones, non Scriptura & verbo Dei, quod eſt propriè diuina ſententia, ſed vt pueri, Scripturæ tantùm notis ſiue characteribus, quibus verbum & ſententia Dei, quã ignorant, conſignata eſt, vtantur; ideoque longiſſimè à veritate aberrent, neſcientes Scripturas
Matth. 22. & Virtutem Dei. Quocirca cùm in Scripturæ locis, quæ deprauant, id

verbum

verbum Dei, & eum Christũ, quem ipsi falsò finxerunt, contineri aiunt, nimirum, vt acutè animaduersum est ab Origene, Pseudoprophetæ censeri debẽt, quibus Christus Dominus, ne crederemus admonuit, cùm dicunt: Ecce hîc est Christus, ecce illic; quosq; idem Dominus etiam caueri diligentissimè ideo voluit, quia cùm vestimentis ouium tegantur, intrinsec⁹ sunt lupi rapaces. Quid est enim, inquit rectissimè Vincẽtius Lirynensis, vestitus ouium, nisi Prophetarum & Apostolorum proloquia? Qui sunt lupi rapaces, nisi sensus Hereticorum feri & rabidi, qui caulas Ecclesię semper infestant, & gregem Christi quaqua possunt, dilacerant? sed vt fallaciùs incautis ouibus obrepant, manente luporum feritate, deponunt lupinam speciem, & sese diuinæ legis sententiis, velut quibusdam velleribus obuoluunt.

Homil. 29. in Matth.

Matth. 24.

Matth. 7.

In libello ad uersus profanas hæresum nouit.

His

His igitur velleribus monſtroſè contectũ, audire mihi & videre prorſus videor vlulãtem Heerbrandum, cùm Scripturas, quarum ſenſum & virtutem neſcit, inaniſſimè iactantem ipſum cogito. Nam quòd refert Auguſtinum interdum, vt rei opportunitas requirebat, ex diuina tantùm Scriptura, controuerſia vt definiretur, poſtulauiſſe; ipſe quoq; proferre ex Auguſtino alia loca poſſum, quibus ille Patrum etiã auctoritate certauit, vt eorum grauiſſimo iudicio aduerſarium premeret, & oſtenderet, quænam eſſet doctrinæ cœleſtis veriſſima ſententia. Neque vnquam Auguſtinus exiſtimauit à tractatione Scripturarum, ratiocinationem verę Theologię conſentaneam, abeſſe debere; cuius quidem niſi Heerbrãdus ob imperitiam, cui iam nimis diu aſſueuit, inimicus eſſet, videret, nullam eſſe omnino Eccleſiaſticæ doctrinæ partem, quæ Scripturis quoq; à nobis non comprobetur. SED

In præfatione ſpong.

Vide peculiariter li. 1. & 2. contra Iulian.

SED de inani istius in diuinis literis iactandis arrogantia, hæc modò sufficiãt. Illa videamus, qualis sit querimonia, quòd me primò stylum in ipsum strinxisse dicit. Est nè aliquis, cui Theses ab isto superioribus annis magno numero collectæ, & procacis in Catholicos maledicentiæ plenissimæ, inauditæ sint? aut solus iste est in Germania Sectarius, aut solus ipse Tubingensis, vt disputationem de Idololatria contra Sectariorum, præsertim Tubingensium calumnias, à me conscriptam, in qua etiam contra Caluinum multa disputata sint, contra se propriè institutã queri debuerit? Quantus autem ille furor iracundiæ fuit, quòd me, quia illum vt indoctum hominem contempsi, & vt Ecclesiæ hostem sum execratus, non modò superbum, veteratorem, impostorem, sycophantam, diabolum appellat; verùm etiam occidendum vnà cum meis proclamat. Quam ego

In præfatione spong.

In spong. fol. 44. b

cæcam atque præcipitem hominis temeritatem, etsi contemnendam existimem, nec me ipsum iudicare, multò minùs humilitatis dignitatē arrogare mihi debeam, non vereor tamen, vt de vno iam tantùm conuicio dicam, ne à te, candide Lector, superbus iudicer, si quod iste in me superbiam censuit, id ego potiùs dolorem vehementem esse affirmauero; quo dum luctuosissimam Germaniæ faciē intueor, sic animo sæpe afficior vt quos genti clarissimæ, & ad pietatem religionemq; natæ, ac mihi certè ob naturæ ingeniique bonitatem inprimis charæ, adeò tristem miserabilemque cladem attulisse intelligo, hos quin, à Deo despectos, ipse quoq; ex animo contemnam, & cùm occasio datur, qua possum orationis seueritate coërceam, tēperare mihi nullò modo possim. Quem enim tam dira & crudelis istorum in patriam impietas non commoueat? Vera religione

& fide

& fide illam orbauerunt; doctrinam, cuius laude priùs maximè excellebat obfusis vbiq; ignorantiæ & pfidiæ tenebris, ex ea eiecerunt; pulcherrimarum virtutum vsum, quem excellentiorem ad salutem viam Apostolus dixit, in ea propè extinxerũt; improbitati ostium aperuerũt; animos dissidio religionis disiunxerunt; pacem & tranquillitatem communem turbauerunt; innumerabiles animas perdiderunt; omnibus deniq; rebus vastitatem, & quasi luem quandam intulerunt. Et tamen queri homines iniquissimi non erubescunt, si à Catholicis eorum effrænata reprimatur audacia, & obstinata ignorantia contemnatur; neque aliud quàm superbiã ducunt, iustissimè aduersùm ipsos animo conceptam indignationem. Desinat igitur, desinat Heerbrandus cum suis patriam nobilissimam afficere ignominia, si honorem sibi à me deferri vult. Etsi increpationem no-

1. Cor. 12.

ſtram tam indignè fert, nõ ſit ipſe vel in patriam crudelis, vel in Eccleſiam Catholicam blaſphemus; ſi ab Hiſpano errores atque inſcitiã ſuam oſtendi & redargui dolet, veritatem à qua deſciuit, cõplectatur, neque amplius patriam ſeducat; quæ ab impiis filiis oppugnata, magnis ac triſtiſſimis vocibus, quas fama eorum immanitatis & perfidię per terrarum orbem diffudit, alienos etiam commouit, vt aduersùm illos ipſius patrocinium defenſionemque ſuſciperent. Verùm fruſtra ab homine obſtinatiſſimo hęc requirimus. Ad te nunc, candide lector, redeo, atq; illud vt animaduertas rogo, doctrinam, quæ ad Idololatriæ rationem cognoſcendam, & Sectariorum contumelias refutandas pertinet, me vt in hoc ſcripto repeterem, nullo modo fuiſſe ſolicitũ. Nam illam, qua ego diligentia & ordine, diuina gratia potui, tradidiſſe mihi in Apologetico abſolutam videor. Ita-

que

que ea nunc explicabo & cõfirmabo tantùm, quæ vt magis exponerentur probarenturque, cauillationes istius effecerũt. Tuũ erit lector beneuole, scriptum hoc meum cum Apologetico conferre, & Domino me commendare tuis precibus. Vale in Christo Iesu. Ingolstadij 24. August. Anno 79.

RESPONSIO AD EA, QVÆ CONTRA PRÆFATIONEM APOLOGETICI obiecit Heerbrandus.

PRINCIPIO, *iniquo animo fers, quòd Apostoli locum,*
Ad Tit. 1. *vbi sanæ doctrinæ corruptores præcepit tractari durè, ad te tuiq; similes hæreticos accommodauerim, vt ostenderem rectè fecisse me, quòd perfidiam tuam in priori disputatione coarguerim. Nondum enim (inquis) conuicit Hispanus, nos vel falsos esse Doctores, vel hæreticos. Si vel vnum Heerbrande hæreticum veri nominis proferre possis, qui se verè ac meritò hæreticum iudicari fassus fuerit, fatebor & ego te, vel hoc nomine Catholicum esse, quòd te hæreticum esse negas. Interim dum hoc demonstraueris, sinas me, quæso, vocabulis vti propriis, & te tuosq; hæreticos nominare, cũ ab eadem Ecclesia hæretici iudicati ac nominati sitis, à qua Cherintus, Ebion, Arrius, Manichæus, Nestorius, & alij, quos ne tu quidem hæreticos esse negabis, hæretici sunt habiti.*

ATQVE

ATQVE hoc ipſum ad aliam querelam tuam Heerbrande reſpondeo, nempe vt ſi ignoras te gregalem eſſe illius gregis pecorum irrationabilium, vt Apoſtolus alter 2.Petr. 2. *hæreticos appellauit, egrediaris excurrasq́ cogitatione parum, & abeas poſt veſtigia gregalium tuorum, hoc eſt, inquiras à quo paſtore Eunomius, Marcion, Pelagius, & alij Hæretici tanquam oberrantes pecudes defecerint, quam viam tenuerint, vnde profecti ſint, & inuenies profectò, te non minùs quàm illos, pecus erraticum & irrationabile eſſe, cùm vt illi, ſic etiam tu, ducatum Christi Vicarij & Eccleſiæ Paſtoris declines ac fugias, tuoq́ arbitrio & electione (quod Hæreticorum ſecundùm Etymon nominis, eſt proprium) venenatum doctrinæ paſtum, Scripturarum campo belluarum more conculcato, & fœdato, quæras.* D.Hieronymus in comment. ſup.c. 5. ad Galat.

AT Apoſtolus inquis, eos irrationabilia pecora cenſet, q. SECTAS PERDITIONIS MVLTAS INTRODVCVNT, *negantes eum qui eos redemit, luxurioſos, per quos via veritatis blaſphematur, & in auaritia*

cor habentes exercitatū, & per auaritiam fictis sermonibus de Ecclesia negotiantes, magistratū contemnentes, oculos habentes plenos adulteriis.] Nescio sanè, an vlla verba proferre potuisses, quibus confirmares planiùs, ex eo grege te esse: Qui enim vnquā plures, quàm vos, introduxerunt perditionis sectas? An tibi eiùs, qui te in hæresi infeliciter genuit, Lutheri, tanquam alterius, vt quidam rectè scripsit, Dianæ mammosæ, detestabilis fœcunditas est ignota? Quid? an nō etiam vos eum, à quo redempti estis, negâstis, cùm ipsius fidem, quæ fuit,
1.Ioan.1. *vt Apostolus Ioannes loquitur, ab initio, abnegaueritis? Et quînā veriùs, libidinum omnis generis patrocinium suscepisse censendi sunt, quàm ij, qui bellū cum castitatis professione susceperunt? Qui sunt auaritiæ dediti, si illi non sunt, qui paupertatem à*
Matth.19. *Christo Domino summè commendatam, summè oderunt? Per quos veritatis via blasphemari possit, nisi per eos, qui ab ea, tanquam iter errorum esset, ad perfidiæ diuerticula declinauerunt? Et nónne vos de*
Eccle-

Ecclesia fictis sermonibus negotiamini, qui Ecclesiam veram, & in conspectu positam, aditumq́; facillimã defugitis, & fictã aliam, quam nemo ante vos aut inuenire, aut nosse potuit, non minùs inani quàm negotioso labore inuestigatis? Iam Ecclesiæ magistratui adeò non obeditis, vt ne eum quidem agnoscatis. Itaq; habeo, vel te comprobante causas Heerbrande, cur te tuosq́; pecorum irrationabilium loco habuerim, & adhuc habeam: Non quia Germani sitis, vt tu inuidiosè admodum finxisti, sed quia maximis erroribus excæcati, & hæretici adeò estis. Te te inquã, Heerbrande, ob ignorantiam insignem atque perfidiam tuam, non nationem ipsam contempsi; quam ego quò pluris facio & magis diligo, eò vehementiùs vestri sceleris immanitatem detestor, quòd prouinciam multis de causis nobilissimam, adeò prauis opinionibus atque sectis fœdaueritis, laceraueritisq́;. Quamobrem si verum est, quod tu Heerbrande, parum etiam verecundè scripsisti, nationem vestram, à nationibus exteris despicatui haberi, hoc In Præfatione spong.

T 5 *tuum*

tuum, & gregalium tuorum ingens flagitium est, qui impiè patriam prodidistis.

AIS deinde, splendidè mentiri me, quòd dixerim, iudicio etiam tuo, Ecclesiam Catholicam esse fidei regulam: Atque vt te potiùs mendaciter id crimen mihi obiicere, comprobares, prudentia illa tua, qua vales plurimùm, illicò propria verba, ex quibus ego eam esse assertionem tuam collegeram, in hunc modum subiunxisti: In omni disputatione, quacunque de materia suscipiatur, certa quædam & infallibilia esse principia, q̃ sint certæ, infallibiles & immotæ regulæ; cuiusmodi est in Theologia, sincera & vera Christi Ecclesia in terris, sacra Scriptura, quæ ideo Canonica dicitur, quòd sit norma & regula infallibilis omnium dogmatũ & cultuum.] Age nunc Heerbrande, credísne veram illam Ecclesiam Christi, quam item dicis esse infallibilem regulam, esse etiam Catholicam, an non? Si credis, minimè quidem sum ego mẽtitus, cùm asserui, indicare te Ecclesiam Catholicam esse fidei regulam, sed tu potiùs, cùm ais, mendaciter hoc me asse-

asseruisse: si verò non eandem Ecclesiam, & Christi esse, & Catholicam esse credis, qua fronte Doctorem te in Apostolica & Orthodoxa Academia nominare audes, qui nescias Symbolum Apostolicum, & Orthodoxam doctrinam, ex qua constat, non aliam habere Christum Ecclesiam veram nisi Catholicam? Bene autem habet, quòd nō semel in hac ipsa spongia tua, vt appellas, Ecclesiā Christi veram, Catholicam etiam dicis, vt nullo modo possis criminationem hoc loco tuam à mendacij crimine vendicare. Fol. 13. 20. & 40.

SIMILE *illud alterum est calumniæ crimen, quod mihi intentas, nec dissimili ratione à te ipso dilutum. Videlicet, in controuersis tantùm rebus, te obiecisse, nullum fuisse à me citatum Scripturæ testimoniū in disputatiōe mea; pinde immeritò in te fuisse me inuectū tanquā negasses, vllum omnino Scripturæ locū me produxisse. Vide autem quomodo hanc excusationem tuā, tuis ipse verbis, quæ adiungis, perspicuè refellas: Nam quòd in præfationis margine inquis, multas citat conclusiones disputationis suæ,*

quas

quas Scripturæ testimoniis se confirmasse ait (cur adeò confessionē veritatis odisti, vt non diceres simpliciter, sicut potuisti verissimè, Cōfirmauit?) partim sunt extra controuersiam positæ, vt iam memini, partim contra Caluinum institutæ; cuius tamen litem dixeram me nolle facere meam.] *Fac Heerbrande (quod non est ita) me in lite tātùm cum Caluino, vt ais, Scripturas protulisse, nónne hoc satis est, vt agnoscas, te fuisse luculenter mentitum, etiam si tantum in rebus controuersis dixisses, me non citauisse Scripturas? Nónne lis cum Caluino, controuersia est? Nisi fortè putas, quia tibi in plerisq; bene cum Caluino conuenit, idcirco cum Caluino mihi nullam controuersiam esse posse.*

MIRARI *præterea satis non potes, quòd obiecerim, te scopū disputationis meæ non fuisse assecutum; ideoq; miris ac multis me maledictis proscindis. Ego verò admiror valde crassitiem tuam, quòd ne hoc quidem ipsum, cur obiecerim intellexeris. Audi nunc ergo, quæ fuerint verba mea, &*

quid

quid voluerim percipito. Ego, inquam, SOLVM *institui docere, quemadmodum in sacrosancta Eucharistia, Sanctorum, sacrarum imaginum, & reliquiarum cultu, nulla cõmittatur Idololatria, quod est vnicum argumentum, vel præcipuam veriùs calumniam refutare ex multis, quibus aduersarij oppugnãt huiusmodi cultus: Heerbrandus autem, sicut est ad discernendum controuersiæ statum subtilis, putauit, me integram defensionẽ, ac probationem harum rerum, quæ sunt iam plùs satis ab aliis assertæ, suscepisse.] Hæc igitur fuit ignorantia tua, quòd etsi, vt ipse quoque significaui, aduerteres, me hosce cultus ab Idololatriæ crimine vendicare velle, (hoc enim nisi vidisses, hominem te esse non putassem) at non vidisti tamen me illud* SOLVM *velle, sed arbitratus es, integram etiam à me tractationem harum rerũ institui. Vnde factum est, vt extra rem, quemadmodum priùs dixi, multa in priori disputatione aduersùm me tua coaceruaueris, quæ in communibus disputationibus de Sanctis, de imaginibus*

In Apolog. fol. 84.

In Apolog. fol. 89.

nibus

nibus &c. sunt iam protrita. Quòd si, vt es impudens, vel hoc ipsum quod iam dixi, negaueris te putauisse, mendacij coarguent te hæc conuicia in religionem & in me tua. In præfatione prioris disputatiõis suæ pag. 2. *Ita enim scripsisti: Inueteratam aliquot seculorum, obsoletam, turpissimam mortuorum plusquam Ethnicam inuocationem; panis à se magicè in Deum Persicum consecrati; similiter et imaginũ, reliquiarumq́; adorationẽ etc. miser Hispanus nimis tardè veniens subulcus, miserè cæcus cæcos defendere* INSTAVRATA PVGNA *conatur.*] *Quæ ego libẽter refero, vt ab omnibus animaduertaris non solùm in blasphemando impotens, sed etiam in conuiciando, subulcorum more, rusticus & vilis esse.*

RESPONSIO AD OBIECTA CONTRA PRIMVM APOLOGETICI CAP. DE VERA Idololatriæ definitione.

POSTVLASTI à me priùs *Heerbrande, vt ex diuinis literis probarem, hanc esse defi-*

definitionem Idololatriæ; Creaturæ diuinũ honorem attribuere sicut Deo. Feci autem hoc ita copiosè, vt ad eam rem, quod erat facillimũ, non pauciores quàm duos & triginta diuinæ Scripturæ locos citauerim. Ex quibus euici, Idololatriam, vt definitum quoddam est crimen à cæteris omnibus distinctum, in eo solùm consistere, quod iam posui. Ad hæc testimonia tu, prò admiranda illa in sacris literis exercitatiõe, qua vales, respondisti tantùm, non fuisse opus operosa, vt dicis, coaceruatione testimoniorum ad confirmandum, id esse Idololatriam; hoc te contendere, Idololatriam alia etiam ratione committi posse. Cur Heerbrande negligis occasionem oblatã probandi nobis, in verbo Dei explicando & tradendo peritum te esse artificem? Cur non singula excutis, & explanas, et refutas distinctè probationem ex Scripturis meam? Tam rudis autem es, vt non intelligas, iisdẽ argumentis ac testimoniis confirmari, definitionẽ alicuius rei esse rectã, & rationẽ definitæ rei non aliter neq; aliam esse posse, q̃ in definitione explicatur?

In Apolog. fol. 89.

Fol. 6. spõg.

Expone

Expone igitur tu, quemadmodum alicuius rei definitionem ex Scripturis confirmare oporteat, & hoc ipsum exemplo aliquo, atque vsu tuo declara; tum lector intelliget, quid in probatione definitionis meæ defuerit, vel potiùs, quid in tuo iudicio atque doctrina desideretur.]

NAM quòd Scripturæ quædam loca postea vt videbimus, deprauas, quibus alterius rationis peccata, Idololatriam quoque dici vis; si maximè hoc tibi concederemus; non tamen obstat, quò minùs Idololatria propriè sit, creaturæ diuinum honorem tribuere sicut Deo, vt ex iis locis [a] *probaui, quibus propriè de Idololatria sermo est, quatenus definita peccati specie continetur. Fit enim non raró, vt vnius* [b] *vitij nomen, ad alia etiã diuersa vitia in aliquo Scripturæ loco per metaphoram transferatur. Ex quo minimè quidẽ efficitur, ea vitia rationem veram ac propriam illius peccati, cuius nomine appellantur, habere: Vt cùm* [c] *Ioannes inquit, omnis qui odit fratrem suum, homicida est; nõ rectè inde colliges Heerbrande, homi-*

a In Apolog. fol. 89.

b Interdum fieri vt vnius vitij nomen ad aliud vitium specie diuersum in Scriptura trãsferatur: proinde ad cognoscendã propriam rationẽ vitii illa loca notanda inprimis esse in quibus fit ex instituto illius mentio.

c 1. Ioan. 3.

homicidium propriè non tantùm esse cædem hominis, sicut alia Scripturæ loca significant, sed etiam odium. Nec auaritiam, intemperantiámue, sicut antè disputaui, Idololatriam esse propriè contendes, quoniã ab Apostolo Paulo Idololatria est appellata. Sic quamuis daremus tibi, cultus veri Dei ob aliquam circumstantiam prauos, Idololatriam alicubi dici, (quod tamen vtrùm ita sit, postea viderimus) nunquam tamen probasti, aut probare poteris, illos esse Idololatriam propriè, cuius sit ex instituto mentio in his locis, quæ pro mea definitione adduxi; Imò priùs ostendi, et postea etiã, cùm ad definitionem Idololatriæ tuæ ventum fuerit, demonstrabo, eiusmodi cultus veri Dei, ob circumstantiam, vel loci, vel temporis, vel finis illicitos, non nisi metaphoricè, vt auaritia & intemperantia, Idololatriam censeri posse.

In Apolog. fol. 93.
Ephes. 5. & Coloss. 3.
In Apolog. fol. 89.

QVOD enim obiicis, diuersam esse auaritiæ & intemperantiæ rationem, quia non sunt cultus, speciem haberet aliquam, si probare vnquam posses, vnum tantùm

Fol. 4. a. spong.

 Idolo-

Idololatriæ peccatum in cultu committi posse; vt si cultus aliquis illicitus est, non metaphoricè tantùm, vt intemperantia, sed propriè Idololatriam illum oporteat esse. Hoc autẽ paradoxon cùm probare non poßis, cultus aliquis illicitus vsurpari potest, qui propriè quidem alterius speciei superstitio sit; Idololatria autẽ non nisi metaphoricè, vt auaritia, et intẽperantia. Quid enim? si quis apud vos perperam vestræ cœnæ dominicæ, vel potiùs diabolicæ intersit, aut Eucharistia indignè vtatur, aut si quis prædicans ex vestratibus, tempore, aut loco, aut fine nõ bono concionetur, nónne peccabit circa cultum? censebísne autem istos omnes esse propriè Idololatras Heerbrãde? Vide, ne, si ita iudices, malam apud tuos gratiam ineas, vt qui nõ tam cõtra nos de Idololatria hactenus disputaueris, quàm contra ipsos, quippe quos hac ratione minimè negare poteris esse frequenter Idololatras. Sed de hac inscitia tua, qua cultus omnes vndecunque prauos Idololatriam facis, & diximus antè multa, & dicemus

Vide fol. 8 a. in spong.

etiam

etiam plura, cùm tuã Idololatriæ definitionem priùs refutatã, iterum redarguemus.

TRANSEO *nunc ad* [a] *Ambrosium, quẽ cùm p̃ definitione mea allegauissem,* [b] *dicis iterum, non propriè ab obiecto, vt ego docui, sed ab effectu & fine Idololatriam descripsisse, cùm dixit; Idololatria Dei honorificentiam vsurpat, & vendicat creaturæ, & probas, quoniam hinc* [c] *inquis, nomen sortitur Idololatria, quòd idolum aliquod colatur?] O probationẽ argutã? Aliúdne ex ea nominatione, sequitur, quàm quòd meritò in Idololatriæ definitione, creaturæ vel idoli mentio fit, cui diuinus honor defertur? & impedítne hoc, quò minus is ipse honor sit obiectum Idololatriæ, ex quo Ambrosius definitionem suam petiuerit.*

a Folio 3. spong.
b In cõmẽt. sup 5. ca. ad Eph. Cuius definitio est etiam Aug. & aliorum patrum cit. in Apolog. fol. 91.
c Folio 4. spong.

[d] OPPONIS *præterea definitioni meæ* [e] *Gersonis definitionem, vsque adeò inconsideratè, vt ea luculenter probes, & definitionem meam bonam esse, & te vix aliquid aut potiùs omnino nihil de toto hoc argumẽto intelligere. Nihil enim, quod ad rẽ quidem attinet, à definitione mea definitio*

d Fol. 4.
e In regulis mortalibus titulo de superbia, lit. m.

Gersonis dissidet. Nam vt ipse quoque recitas, sic definit ille: Idololatria est exhibitio honoris verè, vel interpretatiuè, aut attributiuè diuini, alicui creaturæ aliter, quàm sibi potest competere.] *Vbi notes primùm oportet, hanc Gersonis definitionem existimari à te rectam, proindeq́ sufficientem: sic enim scripsisti:* Quantò rectiùs Gerson Doctor clarissimus Idololatriam definit dicens, &c. *Vt si tibi ostendero idem continere quod meam, non audeas ampliùs de Idololatriæ ratione, quā ignoras, disserere, neque mendaciter criminari, Catholicos esse Idololatras. Quod vt faciliùs expediam, animaduertendum tibi & illud est, quod facilè opinor mihi dabis; nempe Gersonem Idololatriam definiuisse hoc loco, qua ratione crimen est, naturæ legi contrarium, ac proinde creaturæ naturam, quatenus creatura est, in ea definitione tradenda, considerauisse. Vt cùm ait,* Idololatriam esse exhibitionem diuini honoris alicui creaturæ, aliter quàm ipsi competere potest, *hoc prorsus dicat; Idololatriam tunc*

Folio 4. spong.

admitti,

admitti, cùm diuinus honor alicui creaturæ eo modo defertur, qui in illam hoc ipso quòd creatura est, quadrare nequit. Quo posito, quæro nunc abs te, quod nam est inter definitionem Gersonis, et meam discrimen? Respondebis, sicut iam scripsisti, illum Folio 4. *non dixisse (vtar verbis tuis) hanc tantùm esse Idololatriam, cùm honor soli Deo propriè debitus, creaturæ vt Creatori tribuitur, quod Hispanus inquis, assuit, sed cùm honor creaturæ* ALITER, QVAM POTEST EI COMPETERE, *tribuitur.*] *Responde rursum, quem censeas esse illum modum tribuendi honorem diuinum creaturæ aliter, quàm potest ei, vt creatura est, competere, in quo Gerson docet, contineri Idololatriam? Est nè alius præter illum peculiarem, quo soli Deo attribui honor debet? Respondere alium esse, nisi planè sis infans, non potes. Nullus enim honorationis modus, præter eum, qui soli Creatori tanquam proprius reseruari debet, à creatura alienus est, qua ratione quidē est creatura. Quod & ipse Deus nō obscurè in eo loco nos* Esaiæ 42. *docuit,*

docuit, vbi ſuam ſiue laudem ſiue gloriam duntaxat, quam ipſi modus ille ſuus proprius conciliat, negauit ſe cum altero communicaturum. Quapropter cùm vnum & idem ſit, creaturæ diuinum honorem tribuere aliter, quàm ipſi poteſt competere, et tribuere illi eo[a] modo, quo ſolet ac debet tribui Deo, vnum & idem Gerſon & ego aſſerimus, cùm ait ille; Idololatriam eſſe exhibitionē diuini honoris, alicui creaturæ aliter quàm ſibi poteſt competere; & ego; eſſe exhibitionē diuini honoris alicui creaturæ ſicut Creatori. Nō enim his verbis requiro, vt creatura putetur ab Idololatra DEVS; *([b] docui enim aliâs apertè, poſſe Idololatriā committi ſine eiuſmodi infidelitate) ſed ſignifico,[c] Idololatram tribuere creaturæ honorem diuinum, eo modo, quo debet tribui ſoli Deo, atque adeò aliter quàm creaturæ poteſt conuenire; vt veriſsimè ait etiam Gerſon. Hinc Heerbrande quomodo te expedies? Vtrum in poſterum eliges? probabiſne*

a Quis nam ille modus ſit quo ſoli Deo diuinus honor attribui debet, quique ad creaturā ſine Idololatria accōmodari nequit Vide in Apolo. fol. 150. & ſeq. Itē etiā fol. 235. expoſitum eſt, qua ratione diuinus honor in veneratione Christi imaginum ſic vſurpetur vt creaturæ tamen nō deferatur per ſe vt debet deferri Deo, ſed Chriſto Vide etiam fol. 143. qd ſit honor diuinus.

b In Apolog. fol. 157. & 165. item in priori diſputatione cap. 1.

c Sic aliâs ſæpe indicaui, præſertim in Apologet. folio 142. &c.

habiſne an improbabis definitionem Idololatriæ meam? ſi improbabis, iniuria clariſſimũ, vt appellâſti, Doctorem afficies, hoc eſt, Gerſonem, cuius eſt, vt euici, definitio mea; & teipſum præterea redargues, qui virum hunc Idololatriã rectè definiuiſſe es confeſſus: Si autẽ probabis, omnibus fidem facies, te gregaleſq́; tuos, vt in prioribus diſputationibus demonſtraui, mendaces & iniquos calumniatores fuiſſe, quòd Idololatriæ nota affeceritis eos Eccleſiæ cultus, qui vera Idololatria nullo modo ſunt, ſi vera hæc noſtra eſt, vt eſt veriſſima, Idololatriæ definitio.

INQVIS *deinde: Negare Hiſpanus non poteſt, ſpecies à me commemoratas, in Scriptura ſacra Idololatriam dici;* tum addis, *habemus reum confitentem.*] *Quid dicis homo vaniſſime? eámne confeſſionem continent illa verba mea; Demus igitur Heerbrando, ea quæ recenſuit omnia, Idololatriam in Scriptura ſacra dici; quod tamen inquam, paulò pòſt euincemus eſſe longè falſiſſimum, &c.*] *Nónne igitur ego veriùs dixero, habere me hoc loco reum in* Fol. 4. a. In Apolog. fol. 95.

manifesto mendacio deprehensum? Nimiũ certè impudenter hîc liberalitate mea abusus es Heerbrande; cùm ego tantùm dixerim, si maximè liberalis erga te esse vellem, & cõcedere id, quod est falsum, Idololatriã videlicet in Scriptura dici ea, quæ tu vis, probare te tamen nunquam posse, ea dici Idololatriam propriè, de qua est controuersia; sed tantùm metaphoricè, vt intemperantia, & auaritia, & reliqua omnia peccata, hoc modo Idololatria secũdùm D. Hieronymum aliosq; Patres dici possunt. Quod cùm ego probauerim antea, & tu neq; modò neq; postea, vt videbimus, refutes, non habeo necesse, iam pluribus de hoc differere.

Vide etiam fol. 8. b

Fol. 4. b

IN eo verò quòd negas, te antea hæreses & falsa dogmata Idololatriam esse cẽsuisse, (quoniam me sentis hoc apertè refutauisse) vide quæso, ne etiam mentiaris. Nam propositione XX. disputationis tuæ, maiori etiã quàm oportebat triumpho, obiecisti mihi, ideo definitionem meam angustam esse, quoniam opiniones erroneas non comprehenderet, quæ essent, vel me teste, in fine dispu-

disputationis meæ, (vbi de hæresibus apertè agebam) Idololatria. Illud verò quàm est inscitiæ tuæ insigne argumentum, quod ais, te disputauisse, non hæreses, sed opiniones prauas, quibus homines extra Dei verbum sibi fingunt Deum, qualis non est, Idololatriam esse. An tu opiniones de Deo prauas aduersari fidei, adeóque hæreses esse, si pertinacia accesserit, nō sentis? Quid quòd postea in hæc verba scribis: Quicquid de idolis diximus, ad omnia dogmata, quæ sunt contraria veritati, referri potest.] Fol.4.b Fol.17.

Quod paucis interiectis asseueras, non per tropum, sed propriè esse intelligendum. Iudica ergo nunc tu, quomodo hæc cum eo consentiant, quod antea, vt citaui, negas, hæreses Idololatriam esse, & hoc te dixisse. Est illud etiam falsum, quod obiicis, me iactasse, testimonium Augustini quoddam ex mea disputatione te suffuratum esse. Tantùm scripsi, in eo testimonio citando, arte quadam & dissimulatione, tibi bene nota, suspicionē furti ita simpliciter cauere studuisse, vt eam potiùs excitaueris. Sed dic Mendacia Heerbrandi secū pugnantia.

mihi Heerbrande, cùm isthæc leuia persecutus sis, cur non aliquid etiam de illa definiendi regula Petri Hispani repetiuisti, quam mihi priùs adeò petulāter obieceras? Vide Apologet. fol. 93. *Credo magnopere puduisse te tam puerilis argumenti.*

REFVTATIO EORVM, QVÆ CONTRA II. CAP. PRO FALSA DEFINITIONE sua opposuit.

INTER vitia, quæ in definitiōe Idololatriæ tua Heerbrande redargui, vnū erat, non tradidisse te breuiter, vt lex bonæ definitionis iubet, genus et differentiam huius criminis, sed res multas imperitè coaceruasse diuersarum longè rationum: nempe cultus volūtarios, merita, Fol. 5. *satisfactiones, &c. quæ tu vis omnia esse Idololatriam. Respondes autem iam ad hæc non minùs ignoranter quàm breuiter, genus Idololatriæ poni à te* CVLTVS; *differen-*

rentiam autem, PRÆTER VERBI DEI RATIONEM: *Vt si paucis ex mente tua definitionem Idololatriæ conficere velimus, dicendum hoc modo sit: Idololatria est cultus præter verbi Dei rationem institutus.*

EST *profectò quòd gaudeas Heerbrande, te neq; Theologum admodum acutum, neq; etiam hominem valde docilem esse. Sic enim huius tui phantasmatis absurditatem minùs senties, cuius te vehementer alioquin puderet. Existimásne tu differentiam propriam alicuius criminis esse posse, id quod est omnibus criminibus commune?* Qualis debeat esse alicuius peccati differētia. *Fieri nullo modo potest. Nam differentia propria rei, à cæteris rebus rem segregat & distinguit: Si quid verò aliquibus est commune, in eo illa differre minimè possunt. Docet autem Apostolus Ioannes, peccatum iniquitatem esse, hoc est, defectionem, siue vt significantiùs dicam, obliquationem à rectissima bonitatis regula, quæ est ratio diuinæ sapientiæ. Ex quo intelligitur, secùndùm hanc doctrinam Apostolicam, omnibus criminibus cōmunè esse, vt à verbi Dei* 1. Ioan. 3. Peccatum omne discrepare à ratione verbi Dei: proindeque non posse in hoc consistere rationem propriā Idololatriæ.

norma

norma & ratione discrepent. Ita fit, vt, si quod commune est peccatis omnibus, id peccati alicuius differentia esse nequit, persuadere nobis Heerbrandus nullo modo possit, differentiam propriã Idololatriæ, quam

Vide in Apolog. fol. 89. & 94.

Scripturæ significant à cæteris peccatis distingui, eam esse, quòd à verbo Dei discrepet. Quid enim? cùm quispiam orat, aut ieiunat, exempli causa, ob inanem apud homines gloriolam, nónne in cultu peccat, atque adeò agit præter verbi Dei rationem? Quis autem præter Heerbrandum ita desipiat, vt hũc esse iudicet veri nominis Idololatrã? Paulus certè cùm ex zelo non bono diuini honoris, Ecclesiam persequebatur, cultum instituebat à diuini verbi ratione auersum. Dicésne propterea Heerbrande, Apostolum verum Idololatram extitisse? Quale, & quàm inauditum παράδοξον hoc esset?

Ita fol. 8. a. spong. et 10. b. & fol. 6. b. & aliàs passim.

QVID *quòd, vt suprà obieci, sententiam hanc tuam, nempe cultus ob quamcunq; circumstãtiam prauos, Idololatriam esse, defendere non potes, nisi te etiã ac tuos omnes*

omnes Idololatriæ accuses? Nisi fortè priuilegiũ vos habetis, vt in materia vestri cultus nihil vnq̃, quod ad finẽ, locum, tempus, vel modum attinet, præter & contra verbum Dei peccetis, aut peccare poßitis. Quod si non habetis, & vt aliis in rebus, sic & in oratione, Sacramentorũ vsu, & in reliquo cultu à vobis multa peccantur, quæ vos ipsi rep̃hensione digna iudicatis, qualis quamq; cæcus est furor iste tuus Heerbrande, vt nos Idololatriæ accusare petulantiùs poßis, eam te Idololatriæ rationem finxisse, quæ si vera est, teipsum & gregales tuos Idololatriæ quoque accusare, & vt Ethnicos ac Idololatras iis maledictis & cõuiciis omnibus, quæ in nos eo nomine iacis, proscindere debeas? Non vereris, homo imprudentißime, ne Lutherani tui, præsertim ingenui ac nobiles, quorũ magnus est numerus, hanc tuam in ipsos improbam turpißimamq; contumeliam, seuerè vlciscantur?

Heerbrãdus eos etiã qui Lutheranæ Sectæ sunt, Idololatras facit, si illius definitio est vera.

MITTO, *rationem cultus, si eam communiter (quod necesse habes, nisi velis genus & differentiam Idololatriæ à te posita confun-*

confundere) concipis, & non vt à diuina regula discrepat, (quod tu ad Idololatriæ differentiam tantùm retulisti) commune quiddam esse officiis etiam veræ religionis. Itaq; non illa, vt tu insciè ponis, genus est propriè Idololatriæ, sed superstitio, vt ego docui. Quapropter neq; genus, neq; differentiam Idololatriæ in definitione, quam tradidisti, es complexus; ideoq; non Idololatriam, sed inscitiam tuam & ruditatem ea monstrosa definitione nobis descripsisti.

QVOD *si nondũ Heerbrande vides absurditatẽ definitionis, q̃ commentus es, cogita te priùs definitionẽ Gersonis, hoc est, vt antè explicaui, meã probauisse, secundùm q̃ Idololatria tunc solùm committitur, cùm creaturæ alicui diuinus honor exhibetur aliter, quàm ipsi potest cõuenire. Hoc enim si verũ est, fieri nequit, vt, quod tu statuis, Idololatria sit omnis cultus, p̃ter verbi Diuini rationẽ institutus. Nam suscipi cultus officiũ aliquod in Deum aliqua ratione prauè potest, sic, vt nulli creaturæ diuinus adhibeatur honor aliter, quàm ipsi cõueniat; vt si*

vt si eo tēpore qs vacare orationi instituat, quo tēpore parare debet, q̄ sunt familiæ suæ ad victū necessaria; aut si de industria inter orandū cogitatione vagetur, vel quidpiam simile quoad circumstātiam aliquā in religionis cultu peccet. Quòd si tāta sagacitate p̄ditus es, vt quotiescunq; cultus veri Dei prauè vsurpatur, creaturā inuenire possis, cui Diuin⁹ honor aliter, quàm ipsi cōpetere possit, id est, vt explicaui prius, sicut Deo deferatur, habes à me aliâs expositum, quid sit honorē diuinū alicui creaturæ dare, sicut Deo, siue eo modo, quo ipsi nō cōuenit; tū etiā q̄ variis modis hoc fieri possit; ostende ex ea doctrina, quouis cultu vndecunq; prauo idipsū fieri. Vel si tibi doctrina mea nō placet, refuta disertè illā, quod hactenus, cū eā non sis assecutus, facere neq; tentâsti, neq; potuisti, et trade tu aliā, ex qua idipsū doceas; vt magis ipse te miser implices atq; redarguas.

Toto cap. 3. Apologetici, præsertim fol. 143. & 151.

INSTITVIS *deinde ex illa tua descriptione id probare, quod cùm illa euersa atq; explosa iam sit, probari nullo modo potest: nempe cultum aliquem Idololatriam esse posse,*

Folio 5. b. spong & deinceps.

posse, tametsi ad verũ ille Deum dirigatur. Cumq́; ad hanc rem confirmandam multa à me priùs confutata repetas, nõ respondes tamen ad Scripturæ testimonia, præsertim Hieremiæ & Apostoli, quibus ego disertè confirmaui Idololatriam duo continere, nempe auersionem à vero Deo, & conuersionem ad creaturam tanquam ad Deum, proindéque cultu prauo, qui Deum verum pro scopo habeat, cõmitti, vt tu Caluinum secutus, vis non posse: quod ipsum etiam ex definitione Gersonis à te probata, euidenter efficitur.

Fol. 137. & 139. Apolo.

PERCVRRAM *autem primò illa breuiter, quæ de nouo somnias. Quòd ais Apostolum, cultum prauum veri Dei nominâsse Deum, cùm dixit, fore, vt Antichristus efferat se super omne, quod dicitur Deus, aut quod colitur, neque illum hîc de vero Deo locutum fuisse, leuissimè, ne quid asperiùs dicam, à te assertum est: Cùm Apostolus loquatur de omni eo, quod Deus dicitur, siue opinione falsa, siue adoptione, siue natura, vt Patres interpretantur. Id autem* quæ

Fol. 6. spõg.

2. Thess. 2.

Et insinuat Apostolus hanc expositionem ad Galat. 4. vbi ait ignorantes Deum iis qui natura non sunt dij seruiebatis.

qua ratione Antichristus facturus sit, exposuit planiùs Daniel, cuius repetit Apostolus prophetiam, cùm dixit; & leuabitur & magnificabitur aduersùs omnẽ Deum, & aduersùs Deum Deorum loquetur magnifica. Neque satis, opinor ego, te à te ipso Heerbrande intelligi, cùm probare vis, ipsum etiã cultum, esse Deum alienũ. Estnè aliquis propriè Idololatra, quoniam prauè colat ipsum cultum, vt ita necesse habeas probare, cultum etiam, Deum alienum esse & dici? Quorsum metaphoris implicatus, & ignorantia veritatis cæcus tendis homo insipientissime? Dan. 11. Fol. 6. spõg.

PORRO *qua fronte contendis iterum, Israëlitas, cùm in deserto peregrinarẽtur, Deum verũ in aureo vitulo veneratos esse, priusquam ad Scripturæ testimonia & rationes respondeas, quibus antè probaui, te, quòd in hoc dogmate cum Caluino cõsentis, esse planè stultũ. Quòd si aliud testimonium contra te requiris, lege Apostolicam doctrinam apud Clementẽ Rom. & agnosces, qualem nam Deum Israëlitæ tunc adorauerint in vitulo.* Fol. 6. spõg. In disputatione priori cap. vltimo. & in Apolog. fol. 255. Lib. 1. Apostolic. constit. cap. 6.

X IAM

IAM Samuel, sacrificij cultum perperã ac intempestiuè à Saule Deo adhibitum, nequaquam Idololatriam esse, vt Heerbrandus pessima fide citat, pronunciauit; sed QVASI peccatum Idololatriæ esse dixit, nõ acquiescere. Quæ orationis forma, etsi nihil aliquibus in[a] *locis de proprietate & veritate sermonis minuat, huius tamen loci ac textus circumstantiæ eæ sunt, vt ex ea solùm liceat colligere, peccatum Saulis similitudinem quandã habuisse Idololatriæ. Nam coarguit illis verbis Samuel propriè inobedientiam, quæ aut latiùs patet quàm Idololatria, si pro cõmuni quadam conditione peccatorũ omnium accipiatur, aut omnino ab Idololatria distinguitur, si vt est definitum, quoddã peccatum consideretur. Quod autem sæpe repetis, Idololatras, alios de populo Israël ea ratione voluisse se excusare, quòd tantùm venerentur Deum verum, sicut ipsi iam nos facere profitemur, nõ probas: Et iam antè à me refutata hæc calumnia est, exposito loco illo Hieremiæ; Quid vultis mecũ iudicio contendere &c? quem*

1. Reg. 15.
a Vt Iob. 2. Quasi vna de stultis mulieribus & Ioan. 1. Quasi vnigeniti &c. & aliàs.

Fol. 7. & 10. & aliàs in spong.

In Apolog. fol. 120.
Hierem. 2.

tu ad nos malignè accommodasti. Legas iterum, si nondum intellexisti.

VENIO *nunc ad Oseam, apud quem,* Oseæ 2. *quia Deus futurū dixit, vt populus Israël non vocaret se ampliùs Baalim, colligis tu, antea populū illum hoc fuisse Idololatram,* Fol. 6. b. *quòd Deum verum, Baalim vocabat, hoc est, vt tu interpretaris, illum ritu Baalitico perperam colebat. Digna prorsus Heerbrandino cerebro conclusio. Ego verò quæ fuerit Baalitici cultus ab illo populo vsurpata ratio, non ex te Heerbrande, qui es hæreticus, sed ex ipso Deo discere volo, in hunc modum paulò ante per eundē Prophetam, dicente; Et visitabo super eam dies* In illo ca. 2 *Baalim, quibus accendebat incēsum, et ornabatur inaure sua, & monili suo, & ibat post amatores suos, & mei obliuiscebatur, dicit Dominus.] Si cultus ille Baaliticus ad verum Deum dirigebatur, vt tu ais, quomodo erat cum veri Dei obliuione coniunctus? Quòd ergo inferiùs dicit; Et non vocabit me ampliùs Baalim, futurum significabat, vt populus, quisnā esset verus Deus,* agno-

Qua ratione Idololatræ olim verum Deum nominibus falsorū Deorum appellauerint.

agnoscens, nõ amplius falsò cogitaret, eum Baalim siue Idola esse: Sicut infideles faciunt, qui cùm notitiam aliquam de Deo veram generatim mente concipiunt, eam ex errore accommodant ad Idola, vel alias creaturas, quæ non sunt verè Deus, atque ita hunc ipsum verum Deum communiter priùs cogitatum, nominibus earum creaturarum, vel Idolorum insipienter afficiunt. Cum qua expositione, illa quæ sequuntur apud eundem Prophetam verba, planè cõsentiunt: Et auferam nomina Baalim de ore eius, & non recordabitur vltrà nominis eorum.]

Folio 7.a. PERINDE *stolida, vel malitiosa potiùs Heerbrande, est altera illa tua collectio:* Deuter. 12. *Deus præcepit, ne populus ita ipsũ coleret, sicut colebant gentes suos Deos: ergo colere Ethnico ritu Deum verum, est Idololatria: Hæc enim est tuæ rationis summa. Quasi verò nullum aliud peccatum Deus circa religionis cultũ prohibuerit præter Idololatriam. Certè ex ratione, quã eius præcepti Deus illic subiunxit, apparet, non Idololatriæ,*

triæ, sed inhumanitatis siue impietatis verius peruersitatē voluisse tunc cauere. Sic enim habet locus: Non facies similiter Domino Deo tuo: omnes enim abominationes, quas auersatur Dominus, fecerunt Diis suis, offerentes filios & filias, & comburentes igni.

ILLVD *autem ridiculum, quòd in eo loco, vbi Deus cauit, ne populus gentiū cæremonias requireret etc. Hieronymum refers, pro vocabulo Dij Hebraicè, latinè reddidisse cæremonias, tanquam hinc efficiatur, cultus illos ab Hieronymo fuisse existimatos Deos. Nimis Heerbrande crassus es, qui non animaduerteris, Hieronymum ad rem attendisse, ideoq́; sensum illius sententiæ; Ne requiras Deos eorū etc. planiùs reddidisse, qui est, ne requiras, quibus cæremoniis gentes Deos suos coluerint. Et iam antè indicaui, nihil aliud quàm euidens argumentum tuæ cæcitatis esse, quòd in hac disputatione passim inculcas, cultus ipsos prauos, esse ac dici in Scriptura Deos. Quasi Idololatria vera sit, cultum ipsum pro Deo colere.*

Eodē fol. 7.

Somniat Heerbrādus cultū ipsum Dei esse Deū alienū circa quem vera Idololatria versetur.

 colere.

colere. Quo nihil poteſt, ne ab Heerbrando quidem fingi ſtupidius.

Iudi. 8. QVOD *ad locum Iudicum attinet, quo filij Iſraël fornicati eſſe in Ephod perhibentur, ex B. Auguſtini mente, diſtinctè docui, poſſe primò fornicationem illam intelligi veram Idololatriam, qua populus magnificæ illi veſti, tanquam idolo diuinos honores ſtolidè deferret; vel ſecundò peccatum aliud ſuperſtitionis, ſiue ſuperflui, vt Theologi appellant, cultus, quo perverſè extra tabernaculum Dei (quod fas* [a] *non erat) ea veſte ad verum Deum colendum vteretur. Neutram expoſitionẽ tu, vt debuiſſes, confutaſti. Itaque præter nonnulla mendacia, & repetitionem prolixam eorũ, quæ tu ex eo loco obieciſti, & eorum item, quæ ego reſpondi, vix video noui quid afferas. Nam quòd inquis; Auguſtini verba manifeſta eſſe, hoc quoque genus quoddam idoli eſſe, quod extra Dei tabernaculum aliquid ſimile, vbi Deus coleretur, fecerit Gedeon.] verum non eſt: hoc enim peccatum fuiſſe, dixit quidem abſolutè Auguſtinus, non autem*

Quæſt. 41. in lib. Iud. In Apolog. fol. 106.

a Deut. 12. vt expoſuimus in Apolog. fol. 114.

Folio 8. b. ſpong.

tem

tem fuisse Idololatriam. Sic enim loquitur; Vt hoc sit peccatum Gedeon, quòd extra Dei tabernaculum fecerit aliquid simile, vbi coleretur Deus: non quòd solido auro velut ad adorandum constituerit Ephod.] *Ex quibus verbis postremis apparet potiùs, peccatum hoc, si ita intelligatur, non fuisse Augustini sententia, Idololatriam. Quare quæ priùs de Idololatria illic idem Augustinus dixerat, ad priorem illam tantùm, quam ex ipso collegi, expositionem, referenda sunt, eamq́ confirmant, vt prudens lector, inspecto diligenter loco, intelliget.*

PORRO *autem cùm ex sacris literis, & ex B. Augustino probauissem, nomine fornicationis eo loco intelligi posse aliud peccatum, distinctum ab Idololatria, tu vt hoc refelleres subiunxisti: Sophistica est Hispani ratiocinatio; Vocabulum fornicationis de Idololatria metaphoricum est: ergo vbicunq́ Prophetæ vocabulo fornicationis de Idololatria vtuntur, non verã & propriã, sed metaphoricam describunt Idololatriã.*] Vide Apolo. fol. 107. In spong. fol. 8. a

Ego Heerbrande ratiocinationem hanc nō sophisticam, sed crassam, insanam, & tribus mendaciis insignē esse iudico, cùm non mea sit, sed tua. Nam cùm dixisti, meam esse, antecedens, consequens, et consequentiam, quibus illa cōstat, mea esse falsò dixisti, quæ cùm sint tria, tripliciter vna oratione videris mihi (quod pace tua dixerim) mentitus. Quod ego asserui, & mihi ad respondendum tibi satis erat, tantùm fuit, non semper in Scriptura fornicationē pro Idololatria vera accipi. Quam sententiam si lector cum tua, Heerbrāde, ratiocinatione contulerit, agnoscet procul dubio tuam fidem. Pertinet etiam ad hunc locum quòd ais, Augustinum à me citatum, cùm ait, fornicationis vocabulo, corruptionem omnem peccati illicitam significari, non excludere, sed includere Idololatriam, sicut & auaritiam & alia. Neque vides homo acute, hinc id colligi potiùs, quod ego volui; nempe ex Augustini sententia latiùs fornicationis, quàm Idololatriæ vocabulum patere. Quam sententiam non retractat ille,

Triplex Heerbrandi mēdacium.

In Apolog. fol. 107.

Fol. 8. ſpō. b

Lib. 1. de ser mone Domini in monte cap. 16.

vt tu

vt tu minimè verè dicis, sed posito potiùs, fornicationis vocabulum latè, vt dicimus, patere, significareq́; omnem corruptionem peccati grauioris, quod animā iuxta Prophetam perdat, & alienet à Deo, difficilē quæstionē esse dicit, quæ nam illa fornicatio intelligenda sit, cuius causa viro liceat, secundùm sententiam Dominicam, dimittere vxorem suā; sola ne carnalis, an spiritualis etiā, quæ quouis lethali peccato continetur? De qua re ibidem significat se scrupulosè priùs disputauisse: quod ipsum etiam dicere, aliud longè est, quàm aliquid retractare.

PRÆTEREA *vt alterius loci auctoritatē à me in eandem rem citati infirmes, ita disputas, vt concludas; fornicationem eam, quæ amori animæ casto in Deum, siue (quod tu idem esse ais) recto cultui, ex Dauidis & Augustini sententia aduersatur, necessariò Idololatriam intelligi debere: Non repugno, modò etiam alia peccata, quæ sunt item eidem casto amori contraria,* [a] *intelligantur; quod ego cōtendi, & tu non potuisti refutare. Nisi fortè, vt eruditus es,* Fol. 8.b In Psal. 72. a Ita D. August. li. 1. retract. ca. 19. vbi sub illa fornicatiōe de qua propheta loquitur ait cōtineri etiam fornicationē carnalem.

 putas

putas amori casto, & recto cultui vnum tantummodo Idololatriæ crimẽ aduersari posse: Quod quidem si verum esse persuadere poteris, meritò hoc loco triumphum cecinisti: sin minùs, pudeat te leuitatis & maledicentiæ tuæ.

In Apolog. fol. 108. VIDEAMVS *autem, quomodo expositionem alteram, quam ego adhibui eidem illi loco libri Iudicum, refutaueris.* Iudi. 8. *Quod enim primùm dicitur: Et fornicatus est in Ephod omnis Israël, hoc idẽ dixi postea repeti, cùm eodem loco, populus Israël, mortuo Gedeone, perhibetur fornicatus in Baalim, percussisséq; fœdus cum eo, vt esset ipsis in Deum &c. Cùm verò hunc sensum ex phrasi Scripturæ aliis in locis confirmassem* Folio 9. spong. a. *& explicauissẽ, tu nihil aliud opponis præter assertionem tuam, videlicet fornicationem illam, cuius primò mentio fit, patratam fuisse non mortuo, vt ego affirmaui, sed viuo Gedeone: fœdus autem & fornicationem cum Baalim, quæ refertur posteriùs aliam fuisse, quæ admissa sit mortuo Gedeone 40. annis pòst. Hoc qua ratione probare*

potes? Dices fortasse, quia textus fornicationem sonat ante & post mortem Gedeonis. Nunquam audiuisti, sæpenumero fieri, vt non idem ordo in historiæ narratione seruetur, quo res commemoratæ euenerunt? Intelligas ergo in hunc modum, eiusdem fornicationis, quæ postea mortuo Gedeone dicitur esse admissa, mentionem quoque priùs factam fuisse in historia gestorũ & vitæ Gedeonis; idq́ propterea, quòd ipse occasionẽ illi dederit, cùm parauit Ephod; tametsi nõ eo viuo sed mortuo, fuerit longè pòst ea fornicatio perpetrata.

LOCVM *Michææ quendam ita priùs deprauasti, vt ex eo probares, sacrificia ab Israëlitico populo olim, animo expiandi peccata, Deo adhibita, Idololatrica fuisse ob solam circumstantiam eiusmodi finis. Ex quo ego intuli, debere te consequenter fateri, vel blasphemare potiùs, Deum Idololatriam illi populo præcepisse, cùm ei, vt expiatoria offerret sacrificia, præcepit, sicut ex citatis à me pluribus diuinæ Scripturæ locis apparet. Tum etiã locum Michææ, ita* Michææ 6. Prop. 13. prioris disputationis. In Apolog. fol. 109.

vt

vt intelligi debet, exposui, vendicauique à fœda corruptela tua. Nunc verò etsi ad hæc nec respódeas, nec respondere vllo modo possis, ne tamen omnino tacere videaris, iterum asseueras sine probatione, cultus quoscunque diuinitus institutos, eo fine vsurpatos, vt ipsis peccata expientur, Idololatriam, vel, vt nouo inquis vocabulo, dæmonolatriam esse. Itaque maluisti blasphemiæ notam, de qua paulò antè dixi, iterum incurrere, quàm ignominiæ; si simpliciter fassus fuisses, te priùs, vel ignoranter, vel malitiosè, cùm sacrificia expiatoria diuinitus præcepta damnasti, blasphemauisse.

Fol. 9. spōg. a. & b

Dānat Heerbrandus sacrificia diuinitus olim instituta ad expiationē peccatorū.

S*IC, quod Hieremias ait, secundùm numerum ciuitatum tuarum erāt Dÿ tui Iuda etc. ex eodem Hieremia, præsertim c. 11. vbi se ipse interpretatur, ad oculum ostendi, peruersissimè à te fuisse expositum, citatis tuis & Hieremiæ verbis planè pugnantibus per antithesin. Vnde res ipsa me admonuit, vt te antiprophetam nominarem. Ad hæc non respondes, sed repetis iterum, Idololatriam etiam esse, venerari* D E V M *verum,*

Hier. 2.

In Apolog. fol. 119.

verum, ritu gentilium. Quod admodum frigidè confirmas ex eo, quod scribitur rex Asa subuertisse altaria peregrini cultus. Quasi cultus falsorum Deorum non fuerit etiam cultus peregrinus. Quomodo ergo probabis Heerbrande, cultum hunc non rectè à nobis hoc etiam loco intelligi? Fol. 9. spōg. b. & deinceps. 2. Paral. 14.

ADDIS, matrem Michæ, vt est in libro Iudicum, dixisse: Consecraui & voui hoc argentum Domino, ut de manu mea suscipiat filius meus, & faciat sculptile atq; conflatile.] Quo loco, si ad tuum propositum uti vis, pbes oportet, Idololatriam, quam ea fœmina tunc commisit, in eo fuisse, quòd sculptilium vsum aut cultum, ad verum Deum retulerit. Nam quòd vouisse se id argentum Domino dixit, non ad verū Deum, sed ad falsum, ab ipsa existimatum et nominatum verum, vt communiter omnes interpretātur, referri debet. Nisi fortè arbitraris tu, Idololatras nunquam adorauisse id, quod falsò putauerunt esse verū Deum ac Dominum. Atq; apparet sanè ex ipso loco, mulierem eam nō verū Deum, sed idolum, Iudicū 17. Vide lyram, Carthusianum & Abulensem q. 8. in illud cap.

vel

vel dæmonem potiùs, tanquam Deum, more Ethnico, fuiſſe veneratam. Sic enim de illa ibi ſcriptum eſt: Quæ tulit argenteos, & dedit eos argentario, vt faceret ex eis ſculptile atque conflatile, quod fuit in domo Michæ: quæ ædiculam quoque in ea DEO *ſeparauit, & fecit Ephod & Theraphim, id eſt veſtem ſacerdotalem & idola.*] *Sic*

Iudic. 18. *etiam in ſequenti capite Michas locutus eſſe memoratur: Deos meos, quos mihi feci tuliſtis, & ſacerdotem, & omnia quæ habeo &c.*]

QVEMADMODVM *autẽ Idololatria illa, in excelſis locis commiſſa, et à Hieremia*

Hierem. 2. Iſai. 57. Ezec. 6. &c. a 2. Para. 33. *aliiſq; Prophetis taxata, non fuerit peccatum id, de quo aliâs ſcribitur;* [a] *Attamen adhuc populus immolabat in excelſis Domino Deo ſuo &c. expoſitum à me ſic eſt, vt ex eiuſdem etiã loci contextu & circumſtãtiis, te redarguerim. Quod tu iam non refellis:*

Fol. 112. & deinceps in Apolog. *Nam quòd vnum aut alterum locum citas, qui de cultu in excelſis verè Idololatrico intelligatur, nihil ad rem. Adduxi enim etiam ipſe plura eius generis loca. Sed quod*

ego

ego ex Scripturis probaui, cultum illum, cuius determinatè sit mentio, vbi dicitur; Attamen adhuc populus immolabat in excelsis Domino Deo suo, peccatũ aliud fuisse distinctum ab Idololatria, et diuinitus etiã in Deuteronomio prohibitum, hoc tu Heerbrande, si poteras, debuisses impugnare. Vide folio 114. Apol. Deuter. 12.

SPONTANEVM *cultum, hoc est nullà lege præscriptum, ad quem tu definitionem Idololatriæ tuam accommodasti, Idololatriã eo nomine non esse, aliquibus Scripturæ locis primùm confirmaui: Ad ea tu, respondeo inquis, vno verbo, contra negantem principia non esse disputandum.] Veriùs ego dixerim, te tuiq; similes, qui eiusmodi vanitatẽ pro principio habent, indignos esse, nõ dicam cum quibus Theologicè, sed latinè aliqua de re pertinẽte ad doctrinam, disputetur. Ipse autem cur nihilominus hoc te honore, quem non mereris, dignor, initio præfatus sum. Dicis autem Scripturas à me allatas, de cultu spontaneo accipiendas esse, vt spõtaneum à coacto diuersum est, non vt distinguitur ab eo, quod aliqua* Folio 122. Apolog. Fol. 11. a. spong. Fol. 11. b. spong.

aliqua est lege præscriptum: Ostendas igitur mihi in sacris literis præceptũ, quo priuatæ personæ obligarentur ea vota nuncupare, quæ ex iisdem sacris literis, vt probaui, constat fuisse Deo grata. Edissere, qua lege Dauid iurare debuit, custoditurum se Dei legẽ. [Ad vota quod attinet, inquis, Deus ipse verbo suo regulas præscripsit, secundũ quas vouebant etiam voluntariè. Quòd Dauid iurauit custodire legem Dei, nõ fuit ais, res ista libera, sed præcepti diuini.] Felices, quibus tali Doctore Tubingæ frui contingit: quàm dexterè, quàm breuiter & dilucidè rem expediuit? Præceptum vouẽdi requiro Heerbrande, non vouendi aut exequendi votum formulas; Legem, quæ Prophetã obligauerit, vt se diuina pcepta custoditurum iuraret, non quæ ad eadẽ ipsum custodienda adstrinxerit, abs te postulo: hanc si nobis indicare non poteris, qua fronte tu, vt cultus alios Ecclesiæ probes, mãdatum Dei requires? quomodo audebis errorem hunc vestrum, principium in Theologia firmũ atq; immotũ, vt paulò antè fecisti impudenter, appel-

Vide folio 122. Apolo.

Psal. 118.

Folio 11. b. spong.

Non potest Heerbrãdus assignare pceptum eorum omniũ cultuũ quos Deo constat placuisse.

appellare? Sed fortasse vos Tubingæ docetis, iuramentum ipsum custodiendæ legis, et legis custodiam, vnum et idem officium esse; vt quemadmodum custodia legis libera res non est, sed præcepti diuini, ita dicere tu Heerbrande potueris, quòd Dauid iurauit custodire legem Dei, diuini præcepti, vt ais, non liberam rem fuisse. Si adeò vulgaris homo es Heerbrande, vt non videas, quid inter iuramentum ipsum, et iuramēti materiam intersit, cur ascendis cathedrā? Cur eos decipere nō vereris, qui te audiūt? cur disputas? cur scribis? Nulláne tui nominis te cura tangit? aut ignoras, quàm te disputationes & sententiæ tuæ apud eos, qui mediocrem vel doctrinā vel prudentiam habent, despicabilem reddant? Mihi crede, si is es, qualem te esse ex his lucubrationibus tuis colligere possum, pdigij loco habeo, quòd in Academia aliqua tolereris.

Nescit Heerbrandus distinguere inter iuramētum & iuramenti exequutionem.

A V S C V L T A *enim quæso, quid paulò inferiùs (nam omnia prosequi esset infinitum) in spongia tua contineatur. Affirmat B. Augustinus, multa facienda esse non iu-*

Folio 11. b. Li. 1. de adulterin. cōiugiis ad Polentiū c. 14.

bente lege, sed libera charitate, quæq; Deo sint gratiora in officiis nostris. Hunc locum à me priùs citatum, tu his verbis exponis: De adiaphoris inquis, ibidem loquitur, ex cap. 14. ad Rom: de vsu libertatis in cibo, vbi ex charitate propter infirmos abstinētiam docet; & ipsa tamen charitatis opera nequaquam libera sunt, vt liceat ea facere vel omittere, sed maximè verbo Dei sunt præcepta.] *Laborásne capitis vertigine, an opinionem veterum Philosophorum iam olim explosam renouas, nempe cōtradictoria esse posse vera? Si adiaphora ea opera charitatis, de quibus Augustinus loquitur, non iubente lege, sed libera charitate fiunt, quomodo sunt maximè præcepta? Possem de errore tuorum circa charitatis præceptum hoc loco differere, et te ad prodendam magis ignorantiam tuam adigere, sed parcendum est interdum exiguitati tuæ. Nam & ex tuis accepi, ne in ipsa quidem disciplina Lutheri, te admodum profecisse: Pergamus ergo vlteriùs.*

APVD *Michæam Prophetã inter cætera sic legimus: Nunquid dabo primogenitum meum pro scelere meo, fructũ ventris mei pro peccato animæ meæ?] Hoc loco tu priùs Idololatriam quorundam notari aiebas, qui filios & filias suas vero Deo immolauissent, cùm hoc facere diuinitus iussi non essent; atq; eosdem commemorari à Dauide affirmâsti, vbi ait; Immolauerunt filios suos et filias suas dæmoniis.] Quam ego phantasiam tuam, duplici nomine docui esse vanam: primò, quoniam fingis absq; fundamento cõmemorari aliquos ibi, qui suos liberos vero Deo mactauerint. Secundò, quia si maximè talium eo loco mentio fieret, impium tamen est, locũ illum Dauidis, in quo de vera Idololatria agitur, ad eos accommodare, cùm agat ille de his, qui filios & filias suas non Deo, sed sculptilibus Chanaan & dæmoniis immolauerint. Primum illud, quia obieci finxisse te, dicis me cæcum fuisse, & assertionem tuam, quam ego fictionem esse duxi, manifestè confirmari putas ex interrogatione illa, quæ in eo-*

Michææ. 6. In priori disput. Cap. 1. Psalm. 105. Folio 124. Apol. Folio 12. spong. a.

dem Prophetæ loco recensetur; Quid dignum offeram Domino Deo meo etc. Vbi deinde sequitur; Nunquid dabo primogenitum meum &c. Itaque videris in hunc modum argumentari: Ex eo loco constat, fuisse aliquos, qui num filios deberent immolare Deo, interrogauerint: Constat igitur ex eodē loco, aliquos, qui filios suos Deo immolauerint, extitisse. Ita liberalis & copiosus Heerbrande es, in suppeditanda materia ad ridendū te, vt me, qui rē ipsam tecum paucis transigere optâram & instituerā, sæpius etiā, quàm ego vellem, in scriptionis cursu impedias. Vbi quæso didicisti cōclusionē illā formare: Quidā percontati sunt, nū deberēt Deo filios immolare: ergo quidā immolauerūt: Cōcludas pari ratione in hunc modū: Discipuli rogauerūt ex Christo, num deberēt ignē de cœlo Samaritanis imprecari: ergo ignem illis imprecati sunt. Euolue diligentiùs nunc, quàm antè, Petrū Hispanum, popularē, quem appellâsti, meū, & inquire regulam, quæ hanc formam cōsequentiarum præscribàt, & nos illam doce, tum

Inepta Heerbrandi conclusio.

Lucæ 9.

ce, tum

ce, tum à concludendi artificio, mirificè te laudabimus.

VIDEAMVS *nunc illud alterum quomodo probas, videlicet à Propheta Dauide, cûm inquit: Immolauerunt filios suos & filias suas dæmoniis, & sculptilibus Chanaan &c. eos notari, qui vero Deo liberos immolauerint. Summa tuæ pbationis vel affirmationis potiùs (nihil enim pbas) est, notari à Dauide, atq; adeò à Spiritu sancto hoc loco, Israëlitas illos, qui contra præceptum et admonitionem Domini, ab Ethnicis didicerint sacrificare vero* DEO *filios suos, sicut illi sacrificabant Diis siue sculptilibus. Ego verò ex verbis Dauidicis euidenter colligo, cõmemorare illum quidem hoc loco eos, qui gentes infeliciter imitati sunt, non tamen, qui eo vsque tantùm, vt filios sicut illæ, ad sacrificandum vsurparent, sed qui etiam ad sacrificandum falsis Diis earum. Ita enim habent verba: Et commisti sunt inter gentes, & didicerunt opera eorum, & seruierunt sculptilibus eorum, & factũ est illis in scandalũ, et immolauerunt filios*

Psalm. 105.

Folio 12. spong.

Deuter. 12.

Quatenus Israëlitæ imitati sint rationẽ cultus à gentibus vsurpatam.

Psalm. 105.

filios suos & filias suas dæmoniis, et effuderunt sanguinem innocentem, sanguinem filiorum suorum & filiarũ suarum, quas sacrificauerunt sculptilibus Chanaan.

Folio 12. a. spong. *SED ais tu, funesta hæc sacrificia, tametsi offerentium animo & voluntate, ad verum Deum directa essent, nihilominùs sculptilibus Chanaan & dæmoniis oblata fuisse, dici à Propheta, quoniã Deus illa sibi offerri nõ præceperat. Miror talem diuinæ Scripturæ interpretem, nõ dico à studiosis Tubingẽsibus, sed ab opificibus, qui Tubingæ sunt, & concionem aliquando audiunt, tolerari posse. Et non te pudet Heerbrande, cùm is Doctor sis, requirere ab vllo vnquam, vt aliquid tibi ex Scriptura probet? Quæ possunt vel fingi verba tam clara, quæ tu nõ deprau es, si hæc, quæ adduxi planißima corrumpis? Seruire inquit, sculptilibus Chanaan & dæmoniis, & sacrificare illis, est id sacrificium offerre vero Deo, quod ipse offerri sibi non præcepit. Non recordaris ex diuina Scriptura, & ex ratione ipsa probauisse me, tũc creaturæ alicui officium*

Sacrificare sculptilibus Chanaan, & dæmoniis, Heerbrãdo interprete nihil aliud fuit, quàm sacrificare Deo iniussũ ipsius. Vide Apolog. fol. 151. & deinceps.

officium diuini honoris deferri eo modo, quo ipsi competere non potest, id est, sicut Deo, quando illi per id officium, diuinitatis conciliatur existimatio? Si hoc ita esse credis, explana nobis, quomodo is, qui Deo vero ipsius iniussu, sacrificiũ adhibet, eo ipso sculptilibus Chanaan et dæmoniis diuinam existimationem conciliet, illisq́ honorem diuinum attribuat aliter, quàm ipsis conuenire poßit, quod Gerson à te probatus, requirit in Idololatria. Dices, te mihi ea in re nõ credere, quin imò honorem diuinum etiam dæmoniis dari aliter, quàm ipsis poßit competere, quando cultus aliquis, non præceptus, exhibetur Deo. Ego autem aio, hoc ideo te dicere, quoniam puer es, hoc est, quia cùm honorem diuinum dari dicis, voces quidem vt puer, formas et loqueris. Sed notitiam, quam hæ voces in mente excitare debent, nullo modo formas nec tenes; itaq; non rem, sed verba tantùm concipis, quando illa audis & vsurpas, sicut cæcus cùm loquitur de coloribus. Quæ causa est, cur mihi Heerbrande insanabilis videaris,

Qui citra Dei præceptum Deum aliqua ratione colit, nõ eo ipso dæmoniis diuinũ honorẽ attribuit vt nugatur Heerbrandus.

 nisi

nisi te planè humilies, & in Ecclesia simpliciter credas, quæ ipse ingenio comprehendere minimè vales.

AC procedit ex eodem imperitiæ fonte, quòd cùm hoc modo circa rei intelligētiam premeris, ad diuinum testimonium nō minùs ridiculè, quàm frigidè, hac vel simili oratione recurrere consueuisti. Quicquid ipsi affirment & testentur, se Sanctos vel imagines &c. non habere pro Diis, sed verum Deum se colere, illiq; sacrificia, & cultum religionis siue Latriæ deferre, tamen Spiritus sanctus, qui est oculatissimus, & intima cordis videt, aliter iudicat, & non considerata voluntate siue affectu illorum, pronunciat, eum cultum nō sibi, sed dæmoniis adhiberi. O propè dixerim, Insensate; nónne consideras, quale hoc sit probationis genus? Quid responderes mihi, multò in æquiori causa, ratiocinanti in hunc modū: Quamuis Heerbrandus neget, se deserto vero Deo, Lutherum, hominem sceleratissimum, sibi in Deum, cui seruire velit, delegisse; Spiritus tamen sanctus, qui oculatissimus

In disputat. priori propos. 18. & in spōg. fol. 10. 12. 41. &c. Vide Apol. fol. 220.

Heerbrādinum probādi artificiū absurdissimū: quo veriùs ille con uinci possit Lutherilatriæ.

ſimus eſt, quiq́ abſcondita cordis Heerbrãdi clarè intuetur, longè ſecùs iudicat, nempe Heerbrandum, vero Deo contempto, poſt Lutherum abiiſſe, cum Luthero ſicut cum Baal altero, vt ſit ipſi in Deum, fœdus percuſsiſſe, Lutherum colere, in Lutherum credere, & in ſumma, Lutherilatram Heerbrandum eſſe. Hîc tu, ſi particulam iudicij aliquam adhuc habes, reſpondere debes, Spiritum ſanctum nihil, quod verum reipſa non ſit, teſtificari; te autem reuera Lutherum pro Deo non habere; proinde niſi aliter Lutherilatriæ conuincaris, teſtimonium Spiritus ſancti aduersùm te non debere proferri. Accipe igitur à nobis in cauſa noſtra, ſimilis formæ, ſed certioris multò veritatis reſponſum, & deſine in poſterum aduersùm nos vti illo tuo, quod familiare habes, ineptiſsimo atque leuiſsimo genere probationis.

AT inquis infrà, vbi de Sanctis diſputas; Deum ita nobis nihil ſentientibus, videre in animo noſtro Idololatriam, ſicut videt infantes in ſe credere (vtor tuis ver- Folio 41. ſpong. h.

bis) *& creaturas omnes ingemiſcere; nec hoc ſolùm ais, verùm etiam creaturam expectare reuelationem filiorum Dei; item pullos coruorum Deum inuocare* (*Nota lector elegantiam ſimilitudinis*) *pro eſca, quos & exaudiat.*] *Putaſtíne hactenus Heerbrande, Catholicos nullos ætate adulta eſſe, nec ſenſu eos aliquo ac rationis vſu vigere, vt quemadmodum in pullis, in infantibus, & ſenſus expertibus creaturis,* DEVS, *quod illa non ſentiunt, percipere poteſt; ſic in animo noſtro Idololatriam, quam ipſi neque in nobis agnoſcimus, neque vllo modo*[a] *admittimus, ſed potiùs execramur, peruideat? Cur me & lectorem impedis hiſce ineptiis? Mitto, falsò à te poni, quod ex ſomniatore tuo Luthero didiciſti, & aliàs exploſum eſt, in infantibus eſſe fidei vſum: item inuocationem illam pullorum, & creaturarum gemitum, multò aliter quàm vocabula propriè ſonant, intelligi debere. Quæ omnia tu cùm extra rem tuo more attigeris, perſequi modò non eſt neceſſe.*

a Vide Apolog. fol. 159. vbi omnes modos, quibus expreſsè aut tacitè admitti poteſt Idololatria, expoſuimus & quemadmodũ nullo modo à Catholicis admittatur indicauimus. Vide etiam folio 220.

SEQVI-

SEQVITVR *deinceps in spongia tua grauis quædam mei accusatio, sed eiusmodi tamẽ, in qua repellenda sufficienter ipse, vt imprudenter soles, pro me laboraueris. Crimen meum dicis esse, quòd locum illum; Quod præcipio tibi, hoc tantùm facito Domino Deo tuo, neque quicquam addas, nec minuas,] ita interpretatus sim, vt negauerim, caueri diuinitus in eo, omnẽ omnino cultum lege non præscriptum, sed tantùm vetari asseruerim ea, quæ sunt diuinæ legi contraria, vt ritus et cæremonias gentium &c. Quam expositionem & rectæ fidei, & ipsi textui, vt ostendi consentaneam, & illi deinde assimilem, quã D. Augustinus, et alij Patres adhibent illi loco Pauli; Si quis Euangelizauerit præter id, quod accepistis &c; quoniam in eo loco præceptores tui, arcem suæ pfidiæ ignorantissimè cõstituerunt, adeò tu ægrè tulisti, ac ita in me exarsisti stomacho & ira, vt ob id non aliud, quàm ipsum diabolũ me esse, admodũ sanè leuiter atque ridiculè probare volueris. Neq; verò aliud expositioni meæ opponere potuisti, quàm*

Folio 12. spong. b. Deut. 4. & 12.

Tract. 98. in Ioan. Ad Galat. 1.

quàm quod verba illa, neque addas quicquam &c. vniuersè sonant, & vniuersè accipienda sint; vt ita ex eorum numero te esse probares, qui cùm à rerum veritate aberrant, nō vim inspiciunt ac sensum, sed dictionibus (vt ait vir Apostolicus Dionysius) affiguntur. O hominis inquis, improbitatem profanā & impietatem audacem, conclusionem vniuersalem, QVICQVID PRÆCIPIO TIBI, HOC *tantùm facito Domino Deo tuo: item; non addas* QVICQVAM, *singularem facere non veretur.*] *Vide autem Heerbrande, ne si vniuersim omnino, vt verba sonāt, accipi hunc locum velis, nō cultus tantùm, absq; Dei præcepto institutos, sed actiones etiā alias politicas, & adiaphoras omnes, quæ paßim sine diuino præcepto suscipiuntur, peccati & Idololatriæ condēnes. Non enim dicit Dominus: Neq; addas quicquā ad cultū pertinens, sed absolutè, neq; addas quicquā, nec minuas: Neq; etiam ait; Quod præcipio tibi circa cultum, hoc tantùm facito, sed vniuersè, quod præcipio tibi; &: Non addetis ad verbum,*

4. c. de diui. nominibus. Fol. 12 a. spong.

quod

quod vobis loquor. Sic etiam quod ait, Nec minuas; si omnino generatim intelligi Heerbrande vis, cur nō doces Tubingenses tuos, vt se tecum circumcidant? An negare potes, verba illa ad legem totam, atq; adeò ad præcepta non solùm naturalia, sed etiam cæremonialia pertinere? Non legisti, quod paulò antè eodem in loco Deus monuerat: Obserua & audi OMNIA, *quæ ego præcipio tibi, vt bene sit tibi etc. Quid ergo ais Heerbrande? visne adhuc generatim sentētiam illam, vt verba sonant, accipere, an non vis? Si vis, ne patiaris in posterum te vocari Lutheranum, sed Iudæum, et labora strenuè, vt quàm primùm Germani omnes, pulso Luthero, Iudaismum suscipiant, ne verbo Dei iniuria fiat, quod sit, vt inquis, vniuersim, sicut sonat, intelligendum. Sin autem ob causas à me indicatas, verba illa nequaquam vniuersim, vt sonant, vis accipere, caue ne te diabolum esse hoc nomine probem, sicut tu me idcirco diabolum esse probare vanissimè instituisti. Verùm ego eiusmodi argumento non equidem indigeo,*

Deuter. 4.

Heerbrādus ita Scripturā interpretatur, vt Iudaismū profiteri velle videatur.

Deuter. 12.

vt, quod aliàs habeo exploratißimum, persuadeam mihi, te diaboli certè mancipium & organum esse.

ATTENDE *nunc etiam, qua ratione ipse me, expositionemq́; meam, à vanißima*
Deuter. 12. *criminatione tua defenderis. Quod eodem in loco Deus, sicut etiam aliàs, vota sibi à priuatis personis, citra præceptum, nuncupata probauerit, hoc sanè argumento esse*
Folio. 126. Apolog. *dixi, verbis illis: Nec addas quicq̃ vel minuas; minimè generatim ꝓhiberi quoscunque cultus non præscriptos. Quid verò ad*
Folio 12. spong. a. *hæc tu? Respondeo inquis (confirmo, dixisses accõmodatiùs ad ea, quæ sequuntur) vota,*
ita spontanei fuerũt cultus, vt NEMO EA FACERE COGERETVR LEGE, *sed liberum erat vouere vel non.*] *Si consilio certo atq; sponte, & non potiùs à veritate ipsa victus, hoc Heerbrande cõceßisses, gratias tibi haberẽ, quòd iam fatearis, cultus liberos, hoc est, nulla lege præscriptos, non esse diuinitus prohibitos, ideoq́; nec verba illa; Neq; addas quidquam &c. vniuersim esse accipienda, nec me, quòd vniuersim debere accipi*

a Concedit tandẽ Heerbrandus, aliquem cultũ non in iunctum, licitũ fuisse, nec spectasse ad Idololatriã.

Quæ fuerit illius præcepti vis; Quod præcipio tibi hoc tantùm facito &c. Deuter. 12.

accipi negauerim, diabolicam illam tuam censuram promeruisse. Ne igitur hoc loco deinceps ad spontaneos cultus damnandos abuti, nisi reclamãte cõscientia, possis, animaduerte, ex his, quæ attigimus, esse consequens, præceptum illud: Quod præcipio tibi hoc tantùm facito Domino Deo tuo, neque quicquam addas, nec minuas; qua parte ad cæremonialia legis præcepta ꝑtinebat, cæremoniale quoq; fuisse, quod proinde vnà cum illis exoleuit: Vt verò ad præcepta quoque Decalogi naturalia refertur, eam tantùm vim habere, ne quid rectæ religioni, aut aliis præceptis contrarium admittatur, néue quicquam prætermittatur eorum, quæ diuinitus sunt iussa.

AFFIRMAS *deinde in spongia tua, vota in veteri testamento diuinitus probata, cæremonias fuisse, quæ nihil magis ad nos, quàm circumcisio & Iudæorum sacrificia pertineant.*] *Primùm in præsenti controuersia de cultu spontaneo, nihil hoc te iuuat. Siue enim vota, cæremoniæ fuerint siue non fuerint, satis mihi multũ dedisti, cùm* Folio 12. b.

es

es fassus, ea nulla lege præscripta fuisse, & tamen placuisse Deo. Deinde consilióne, an forte fortuna in hoc commentum deuolutus fueris, nō satis constituere possum; Tam est inauditum, credo etiam apud Lutheranos tuos, & absurdum. Certè cum assertione illa tua, nempe vota fuisse libera, consistere hoc inuentum nullo modo potest. Nam cæremonias veteris legis diuino decreto constitutas esse, exploratū est. Quin etiam, cùm vouēdi religionem, cæremoniam fuisse asseris, quæ ad nos non magis, quàm circumcisio & sacrificia Iudæorum pertineat, perspicuo Prophetæ de noui Testamēti Ecclesia vaticinio; vt antiprophetam te esse probes, aduersa fronte repugnas. Et colent inquit, eum in hostiis & muneribus, & vota vouebunt Domino. Deuter.5.6. 10.26.&c. *Verùm de re à proposito aliena, non vacat modò nec libet pluribus disputare, præsertim tecū Heerbrande.*

QVOD *ais præterea, in nouo Testamento mentionem nullam (excepto voto Pauli, qui Iudæus fuerit) votorum fieri, verum non est, tametsi voti vocabulum aliâs non vsur-*

vſurpetur. Quæ res vel ex illo Apoſtoli loco, vt cætera nunc omittam, abundè confirmatur; Habentes damnationem, quoniã primam fidẽ irritam fecerunt. Quem locũ vos quemadmodũ corrumpatis, oſtenderẽ, niſi res eſſet alterius temporis & loci. 1. Timot. 5.

NVNC quòd differentiam conaris aſſignare, inter cultus et actiones alias nõ præceptas, vt abſurda effugias, quæ ex veſtro dogmate priùs collegeram, iam ſuprà docui nullam eſſe, ſi locum illum; Nec addas quicquã, nec minuas, &c. vniuerſim accipere velitis. Non enim dicit DEVS tantùm; Nec addas quicquam, ad cultus pertinens; ſed præcisè ait: Nec addas quidquam. Folio 12. b. ſpong. Folio 127. Apolog. Deuter. 12.

IAM verò ab Eccleſia Chriſti legitima ſpontaneos cultus probatos eſſe, atque adeò auctoritate niti Scripturæ, [a] *quæ eam ipſam Eccleſiam, vt* [b] *Auguſtinus diſſeruit, commendat, ideo* [c] *negas, quoniam ab illa deſciuiſti. Sic etiam, quòd Scripturæ verba ita laudas, vt verbũ Dei non ſcriptum reiicias* a 1. Tim. 3. b Lib. 1. cõtra Creſconium Grámaticum c. 23. c Folio 13. ſpong.

commune tibi est cum hæreticis, qui vnquã ferme fuerunt. Vt rectè ideo Gregorius Nazianzenus de Eunomianis dixerit; Literæ studium, impietatis ipsis pallium esse, cùm illi Spiritum sanctum DEVM *fateri nollent, quòd, vt aiebant, in Scripturis expressum id dogma non esset. Sic etiã Maximinus Arrianus apud Augustinum: Si quid inquit, de diuinis Scripturis protuleris, quod commune est cum omnibus, necesse est vt audiamus: hæ verò voces, quæ extra Scripturam sunt, nullo casu à nobis suscipiuntur: Cùm Dominus mõneat ac dicat; sine causa me colunt docentes mandata & præcepta hominum.*] *Hæc isti hæretici & alÿ etiam, totidem verbis, quot iam tu Heerbrande, & alÿ tui gregales hæretici.*

Lib. 5. de Theol.

Lib. 1. cõtra eundem.

Hæreticis cõmune est vt solas recipiant scripturas.

Folio 95. DOCVI *porrò in Apologetico, cultus diuinitus non præceptos, aliquando eos intelligi, qui adeò præcepti non sunt, vt diuino etiam præcepto sint contrarÿ; quales illi erant, quos in Pharisæis Christus damnat; et Apostolus item in epistola ad Colossenses.*

Matth. 15. Coloss. 2.

Quæ

Quæ phrasis in Scriptura passim occurrit, Vt in Deuter: Cùm reperti fuerint apud te inquit, vir aut mulier, qui faciant malum in conspectu Domini Dei tui, & transgrediantur pactum illius, vt vadant & seruiant Diis alienis, & adorent Solem & Lunam, & omnem militiam cœli, Quæ non præcepi.]*Item sequenti capite: Propheta autem, qui arrogantia deprauatus, voluerit loqui in nomine meo, quæ ego non præcepi illi, vt diceret etc.*]*En Heerbrande, vt alia loca prius à me citata, nūc præteream, non præceptum his locis, illud dicitur, quod fuit etiam diuinitus prohibitum. In quem modum testimonia Christi, et Pauli intelligere debes, vt ex verbis antecedentibus ipsius Christi, antea te docui.*

Deut. ca. 17.

Cultus non præceptos quos diuina scriptura damnat, iuxta illius phrasim, eos intelligendos esse q & diuino etiā præcepto sunt prohibiti. Folio 13. b. spong.

AT *inquis, abstinentiam ciborum fuisse à Christo in Pharisæis damnatam, quæ tantùm abest vt fuerit prohibita, vt fuerit etiā præcepta. Quæro igitur abs te, qua ratione eam abstinentiā Christus damnauit? Quoniam Pharisæi inquis, abstinentiā &*

delectum ciborum, cultus esse peculiariter Deo gratos sentiebant.] Responde rursum, erántne illi iussi id sentire, aut eo animo abstinere, & ciborum delectu vti? Minimè inquies, quoniam, vt ais, disciplina erat tantùm externa, nequaquam cultus, obseruatio discriminis ciborum.] Non igitur id propriè Christus in Pharisæis accusat, quod præcepit, sed quod non præcepit; nempe rationem illam & opinionem cultus in abstinentia, quam tu Heerbrande prauam hic atque adeò prohibitam censes. Quocirca siue Christus illic rationem opinionémue diuini cultus in Pharisæis damnauerit, vt tu falsò ponis, (neque enim vacat omnia persequi) siue traditiones alias et mādata, cū diuina lege pugnātia, vt verissimè ex Christi sermone ipse ostendi, elabi nō potes, quin fateri cogaris, Christum eo loco propriè quidē id damnasse, quod adeò Pharisæis præceptum non fuit, vt etiam fuerit ipsis prohibitum. Id quod ego asserueram, & tu cùm impugnare velles, confirmauisti.

Folio 130. Apolog. vbi adduximus illam sentētiā Christi Matth. 15. Quare & vos trāsgredimini mādata Dei ꝓpter traditionē vestrā. Nam Deus dixit, honora patrem tuum &c.

IAM

IAM auctoritati Erasmi, quã mihi deinde opponis, non tantum tribuo, quantum aliorum Patrum auctoritati, ex quorum sentẽtia exposui priùs, quomodo locus Apostoli de voluntario cultu accipiendus sit. Lege, si placet, iterum. Sic etiam neque illa moror, quæ præter rem satis perturbatè & inscitè cõminisceris de illo altero Pauli loco; Omne quod non est ex fide, peccatum est. Nam quàm hæc sententia Ecclesiastici cultus rationi non aduersetur, exposui eo Apologetici mei loco, quẽ te sine pudore, quantumlibet sis impudens, legere posse nõ puto. Inter cætera, quòd ad hunc locum Pauli attinet, illud scripsisti imperitè, nempe fieri non posse, vt aliquid neque ex fide, neque ex infidelitate fiat. Suscipiuntur enim multa eiusmodi opera, ratione duce ab iis, qui cùm verâ fide careant, non omnia tamen referunt ad vsum infidelitatis siue superstitionis suæ. Verùm alterius est loci hæc disputatio, & inferiùs quoq; de illa Pauli sententia aliquid explicandum erit. Folio 14. a. spong. Folio 130. Apolog. Coloss. 2. Folio 14. b. spong. Rom. 14. Folio 231. Apolog. Circa ca. 6. Apolog.

Folio 15. a spong. *NVNC quòd vitam æternam promerendi, et pro peccatis satisfaciendi studium meis non refutatis, Idololatriam esse denuo contendis, facis tuo more pertinaciter; sed Lector facilè iudicabit, nihil necesse esse addere ad ea, quæ scripsi? Illa legas iterum diligentiùs; & obserua, quomodo exposuerim locum illum; Torcular calcaui solus &c. quē hic repetis: Tum etiam qua ratione ostenderim; Isaiam, cùm ait, Repleta est terra Idolis, nō posse, vt somniasti tu, de operibus Pharisæorum intelligi; quod nec iam probas, sed affirmas tantùm, & quidem sæpe, nec mea refellis.*

Folio 132. Apol. Folio 202. Apolog. Isai. 63. Isai. 2. Vide fol. 133. Apolog.

a Folio 16. spong. a. b Folio 137. Apolog. SCRIPTVRARVM *autem plurima loca illa, quæ[a] ais, me in margine notauisse, non in eum finem[b] citaui, vt probarem (sicut tu malitiosè ludis) nos Idololatras esse, sed te stultum, qui contra Scripturas et rationem asseueres, Idololatriam in eo etiam cultu admitti posse, qui ad solum verum Deum dirigatur. Quod cōmentum vt abiicias, si Scripturæ te auctoritas non mouet,*

Gersonis

Gersonis certè clarißimi Doctoris, vt nominasti, sentẽtia mouere debet. Is enim, vt suprà dictũ est, omnino ponit in definitione Idololatriæ sua, creaturã aliquam, cui oporteat diuinũ honorem aliter tribuere, quàm ipsi poßit conuenire. Itaq; deinceps Heerbrande, vt in adoratione Eucharistiæ, veneratione Sanctorũ etc. ostendas, creaturæ alicui diuinũ attribui honorẽ aliter, quàm ipsi poßit cõpetere, id est, sicut suprà explicaui, vt Deo, non mea tantùm sed etiam Doctoris clarißimi definitione te vrgebo. Quanquã nullum sit, vt docui, inter vtrãque discrimen.

COGITATIONES *falsas de Deo, idolũ appellari posse, non negaui, imò docui sæpius ex Augustino & Hieronymo, sed eas probaui non esse propriè idolum aut Idololatriã;* In priori disput. cap. vltimo. & in Apolog. fol. 98. *Quod tu etiam initio huius Spongiæ concessisti, cùm fassus es, aliud peccatum esse hæreses, et falsa dogmata, quoniam sensisti, me id ex diuinis literis confirmauisse.* In spong. fol. 4. b. *Quare cùm iam iterum ex Augustino &*

Vide fol. 94. Apolog. Folio 16. & deinceps in spong.

Hieronymo à me quoque citatis, probare studes, cogitationes falsas de Deo, & quæcunque falsa dogmata veritati contraria, Idololatriam esse propriè; nõ mihi tantùm, sed sacris literis & tibi repugnas; tũ etiam mendacium illud tuũ testificaris, quod inficiatus es priùs, cùm respondebas mihi, te nunquam affirmauisse, hæreses esse Idololatriam: Vt videas miser, quomodo ipse à te ipso impliceris, & quanta sit in scriptis tuis copia mendaciorum & ἀντιλογισμ.

1. Cor. 8. Vide ad Gal. 4. sed tunc quidem ignorãtes Deũ iis qui natura non sunt dij, seruiebatis. Folio 139. Apolog.

INTERIM de illo loco Apostoli; scimus quia nihil est idolũ in mũdo (quem tu priùs ad cogitationem falsam de Deo peruersissimè detorsisti) nihil es ausus dicere, quoniã ex eodem Apostolo conuici, necessariò de idolo vel creatura, quæ falsò putetur Deus, esse intelligendum. Atque ideo dicebam, te vanum idolum ex tuo cerebro fabricauisse, quòd idolum in eo loco, cogitationem tantùm de Deo falsam interpretatus fuisses; non quia dixeris, cogitationes alioquin falsas, appellari posse idola, sicut tu iam,

vt

vt corruptelam tuam illius loci dißimulares, lectori significasti. Disce igitur hoc exemplo, qua fide cætera Scripturæ testimonia tractare soleas. Tum etiam ex iis, quæ hactenus tam pro mea definitione, quàm contra tuam disputata sunt, cognosce, quàm insipienter Idololatriam esse dixeris, cultum præter rationem verbi Dei institutum; cui non minùs absurdè velut partes subiecisti cultũ veri Dei ob aliquam circumstãtiam prauum, quamuis alioquin diuinitus constitutus esset, & cultum item spontaneum, tum etiam satisfactiones, & merita. Quòd si necdum cæcitatem tuam vides, definitionem Doctoris clarißimi Gersonis diligenter repete, quæ tuam, vt suprà demõstraui, planè euertit, & meam, quæ ab ea non differt, confirmat. Qua constituta, in reliqua tuæ spongiæ parte exhaurienda, breuior esse potero.

Vide fol. 6. b. & 8. a. in spong. & aliàs.

CONFVTATIO EORVM QVÆ CONTRA TERTIVM APOLOGET. CAPVT, IN QVO regula quædam ad Idololatriam diiudicandam constituta est, obiecit.

QVOD ex definitione Gersonis & mea, diuinis literis & ratione confirmata, necessariò sequitur, duo requiri, vt Idololatria committatur, nempe vt honor aliquis vsurpetur diuinus, & deinde creaturæ illi, sicut esset attribuendus Deo, deferatur; hoc pro regula ad Idololatriam in facto diiudicandã constitui: vt, si vtrumq; aliquo Cap. 3. Apolog. *in cultu concurrat, Idololatriam eum esse iudicemus; si alterutrum, vel vtrumque desit, non iudicemus.*

QVÆ autẽ *in hac exponenda regula &* In priori disput. cõc. 29. & 30. Vide folio 144. & 153. Apolog. *confirmanda, & iis, quæ aduersùm illã iste ignorãter oppósuerat, refellendis, à me pluribus Scripturæ testimoniis adductis, disputata sunt, ea ille ore mendaci et impudẽti dicit,*

dicit, solidè esse à se refutata, ad q̃ Hispanus respõdere nihil potuerit. Iudicet æquus Lector Heerbrande, inter me & te, & collatis vtriusq; scriptis statuat, nũ veriùs ego affirmare poßim, q̃ ad ineptias tuas ex diuinis præcipuè literis respondi, ideo te p̃teriuisse, quoniã vehementer te puduit videre ignorantiam tuam adeò perspicuè redargutam. Folio 18. a. spong.

ITAQVE *ad ea, quæ hic Heerbrãde, vel præter rem nugaris, vel denuo repetis, non est opus alio responso: legas iterũ Apologeticum; & cùm fol. 144. & deinceps & aliâs repereris bene multa Scripturæ loca à me in eorum, quæ docui, confirmationem citata; palpa, si manus habes, mendacium hoc, quo verbis istis Lectori imposuisti; Iussus à me inqs, illa sua absurda, in Theologia sincera, axiomata vel paradoxa potiùs, Scripturæ sacræ testimoniis probare, molestè fert, nec etiã à me admonit⁹, vel* VNICO *Scripturæ sacræ testimonio probare dignatur.] Quid dicam Heerbrande? nisi quòd cõsuetudo in te effecit, vt mẽdaciis vel ad horã delectari* Folio 19. a. spong.

velis,

velis, donec capiaris. Atque hic est modus victoriæ tuæ, si aliquem inuenias imprudentem lectorem, cui notus cùm non fueris, ad tempus credat tibi, & mendacissimas calumnias tuas, accusationes iustas esse putet.

1. Cor. 10. QVÆ *autem est illa impudentia, quòd locum illum Apostoli, vbi ait, ea quæ gentes immolant, dæmoniis immolare, & non*

Folio 18. a. spong. *Deo, tu sic interpretaris, vt Deo vero velis ipsos immolauisse, ideóque solum dæmoniis immolasse dici, quia sine diuino præcepto Deo immolauerunt. Conferamus propiùs textum cum glossa. Apostolus inquit; Quæ immolant gentes, dæmoniis immolant, &*

Heerbrādus verbum Dei adulterat. NON DEO. *Tu exponis; Quæ immolant gentes,* DEO IMMOLANT, NON DÆMONIIS, *nisi quòd dæmoniis immolare dicuntur, quia sine præcepto Deo immolant.*

QVANTO *rectiùs hic ego Heerbrande exclamare possem, te non quidem esse dæmonem, vt tu me priùs esse dixisti, sed dæmonis*

monis ſatellitem et miniſtrum, qui verbum Dei ita ſceleratè peruertas. Verùm non eſt hoc in te nouum; Iam enim ſuprà vidimus, te aliis Scripturarum locis, vt hoc tuum figmentum confirmes, & incenſam cupiditatem in Catholicos debacchandi expleas, non diſsimilem vim inferre. Deus quæ ſua infinita miſericordia eſt, aperiat gentis nobiliſsimæ, & ad pietatem aptiſsimæ oculos, quam diuini verbi ſpecioſo titulo vos faſcinauiſtis, cùm reuera ſitis diuini verbi peſſimi corruptores. Ad extremum, quæ de exemplis à me allatis attingis, non merentur reſponſum, quia non es aſſecutus quorſum ea cōtulerim: nec illa integra recitaſti, vt id poſſet lector intelligere, & animaduertere ignorantiam tuam.

Circa ca. 2. Apolog.

Folio 19. ſpong.

Vide folio 154. & Apolog. 155.

DEPVLSIO CALVMNIARVM IN IIII. CAP. APOLOG. VBI DE VARIIS Idololatriæ generibus actum eſt.

QVO

QVO consilio ea, quæ priùs hac de re notaueram, in Apologetico etiam repetiuerim, rationem Lectori reddidi; sicut aliâs etiam feci, cùm mihi fuit aliquid necessariò repetendum, vt Lector faciliùs intelligeret, quid tu obiecisses, & quid item vt de nouo dicerem, ignorantia siue pertinacia tua requireret; atque ita doctrinam integram, & ordine confirmatam haberet. Quod satis esse debuerat, vt tu Heerbrande, si homo grauis & modestus es, non mihi repetitionem hanc probri loco obiiceres.

Cap. illo 4.

TV autem, vt à me vel à Lectore potiùs eodem nomine incuseris, non ideo solùm dignus es, quòd me leuiter & iniustè in hoc genere sæpius accusasti, sed etiam, quia cùm nihil ferè aliud facias, quàm repetere; asseueras tamen, te non ea, quæ priùs disputasti, repetere. Verùm omissa hac leuitate tua, vnum illud, quod video à te hoc loco esse obiectum, expediamus. Repetis igitur

Folio 19. a. spong.

folio 20. b. spong.

calumniam illam, qua sæpe soles mẽdaciter repetere, nos Ethnicorum more, nescio quot Deos opitulatores colere: ita enim Sanctos nominare cõsueuisti. Probas autem id; nam etsi nos ista negemus, Spiritus sancti inq; aliud est iudicium.] *De quo tuo genere probandi, atque adeò de tuo iudicio, quid iudicandum sit, iam suprà satis docuimus.*

Itẽ fol. 43. 54. vbi etiã citat alias disputationes suas, in quibus hoc repetierit.

Cap. 2. Vide etiã in Apolog. fol. 230.

SED vt probes aliter criminationem eam, repetis versum, quẽ antea etiam obieceras, ex Mantuano, qui cecinerit: Vt Latij Martem, sic nos te Diue GEORGI. *Ego, Heerbrãde, Poëtarum phrases defendendas nõ sumpsi, sed Scripturam sacram, & Ecclesiam Christi aduersus impias corruptelas & calũnias vestras. Nihilominus ex Petri Hispani amici tui doctrina facilè intelligo, analogiam similitudinemq; Poëtæ aliam esse potuisse, & etiã fuisse, quàm tu es malignè interpretatus. Nõ enim sensus est, vt Latij Martem coluerunt pro Deo, sic nos te loco Dei habemus; sed vt illi ad Martem in bellis, vt ipsis opem tanquam Deus ferret,*

ferret, confugiebant; sic nos ad te recurrimus, vt tanquam Dei amicus nobis opem impetres.

REPETE *igitur Dialecticam, & fortasse intelliges ad analogiam hanc, quam dico, Poëtæ verba accommodari posse. Quòd si Logica tibi displicet, & verbum Dei etiam hoc loco postulas, accipe ex diuinis literis hoc exemplum. Si quæsieris sa-*
Prouerb. 2. *pientiam tanquam pecuniam &c. Putásne hoc loco admoneri te, vt sapientiam ad distrahendum & commutandum quæras, sicut quæris pecuniam? Non ita debes intelligere, sed in alio similitudinem te notare oportet, nempe vt quemadmodum pro pecunia congreganda diligenter laboras; sic etiam studeas diligenter sapientiam tibi, qua cares, comparare: tametsi non vna & eadem ratione sapientia, & pecunia tibi sit vtendum. Pari ergo ratione similitudo illa Poëtæ, in diligentia et studio recurrendi ad Martem, & ad Sanctum, animaduertenda tibi est; licet ad Martem olim, vt ad*

Deum

Deum recurreretur; ad Sanctũ verò nunc, vt ad Dei amicum. Sed de Poëta dictum est satis, & de Sanctorũ patrocinio aliâs etiam disputauimus, & paulò pòst sequetur in spongia tua hic locus.

ILLVD nescio quomodo interpreter, quòd me aliàs dicis, Idololatriæ tantùm externæ rationem explicauisse, & tamen minimè refutas, quæ hoc loco de differentia externæ & internæ Idololatriæ disputaui; Folio 15. b. spong. *ex quibus euidenter apparet, vtramq; illa ipsa definitione Idololatriæ, quam tradidi, comprehendi. Si Idololatriam internam* Folio 166. Apolog. *appellas tu illam, quam ipse finxisti, nempe* Vide etiam *cultum quacunq; ratione illicitum, fateor* folio 156. & 157. *in definitione mea illam comprehensam nõ esse; quia Idololatria non est, nisi fortè metaphoricè, vt sæpius ostendi. Idololatria autem vera, quam Theologi internam appellant, alia longè est, cuius rationem antea satis explicaui, relegas iterum diligentiùs.*

RESPONSIO AD CAVILLATIONES CONTRA CAP. V. APOLOG. QVO EVCHAristię adoratio ab Idololatrię crimine vendicata est.

CVm ex his, quæ hactenus disputata sunt, & in Apologetico quoq; dicta erant, constet satis, Idololatriam aliud non esse, quàm creaturæ diuinum honorem sicut Deo attribuere, hoc ipsum Catholicos facere, cùm sacrosanctam Eucharistiam, sacras imagines, & reliquias venerãtur, probare debuisses Heerbrande, si istiusmodi Ecclesiæ cultus tantopere tibi sunt inuisi. Quod cùm per se probari nullo modo poßit, nihil miror à te neq; priùs, neq; iam esse probatum. Itaq; non censeo repetenda esse modò, quæ pro innocẽtia Catholicorum in hoc genere Lector habet tum in priori disputatione, tũ etiam in Apologetico à me copiosè & ordine tractata. Illa tantùm complectar breui, quæ præ-

præcipuè sunt in Spongia tua, annotatione vel reprehensione potiùs digna.

AIS, dixisse me, quæstionem facti esse, vtrùm Catholici sint Idololatræ. Vbi mihi certò videris aut callidè dißimulasse, quæ ipse hac de re distinctè satis superiùs explicaui: vel illa certè more tuo non fuisse assecutus. Nam primùm nō, vt tu falsò refers, quæstionē facti esse asserui, sintné Catholici Idololatræ. Video enim his verbis, notari posse illam alteram quæstionē, num id, quod faciunt Catholici, Idololatria sit; quæ nō est facti, sed definitionis, vel qualitatis; sed illā ego dixi quæstionem facti esse, adhibeántne Catholici diuinum honorem creaturæ, vt Deo, nécne: Quod ipsum, vtrùm Idololatria sit, & num id solū sit Idololatria, quæstiones qualitatis sunt. Quæ cùm determinatæ priùs à me ita fuissent, vt id solū Idololatriā esse confirmauerim, vt nunc etiam ostendi; tum dixi restare illam controuersiam facti, num Catholici id ipsum faciant, quod solum esse Idololatriā, est constitutum.

Folio 21. a. spong.

Folio 175. Apolog.

Quidnam sit in facti cō trouersia po situm cùm q̄ritur, vtrū Catholici Idololatriā admittant, sicut mentiuntur hæretici.

Folio 175. Apolog. *Atque hinc inferebam, te Heerbrande fuisse valde ineptum, qui mihi vitio verteris, quòd Scripturæ testimoniis non probauerim id, quod erat in controuersia facti, nempe Catholicos nullo cultu, creaturis deferre honorem diuinum, sicut Deo: perinde ac si ab eo, qui homicidij accusatur, postulares, vt iudicibus testimonio Scripturæ com-* Folio 21.a spong. *probet, se hominem non occidisse. Quod exemplum, quia tibi dilucidè demõstrauit absurditatem postulati tui, negas modò, te id ex me requisiuisse. Sed lege proposit. 3. prioris disputat. tuæ, & reperies, te quod hoc negaueris, aut oblitum, aut mentitum, si mauis, fuisse.*

EST *illud etiam nec ferendum nec dissimulandum mendacium, quod his verbis,* Folio 22.a. spong. *nescio an tui compos, effutiuisti; Non enim inquis, idem sunt, quod mentitur Conciliabulum Tridentinum, Eucharistia & Christus, sed diuersissima.*] *Aut ostende tuis Tubingensibus mendacium hoc in Concilio Tridentino, vel etiam in disputatione mea*

ex

ex Concilio Tridentino citatum, aut si hoc non potes, fatere illis, verè me affirmare hoc loco, te mendaciter blasphemauisse, & blasphemè fuisse mentitum. Ex Concilij Tridentini doctrina illud ego collegi, adorationem Eucharistiæ, vt continet Christum, non esse ab adoratione Christi, vt est in Eucharistia, distrahendam, id est, ita separandam, vt concessa vna, negetur altera; non quia Christus & Eucharistia idem sint, sed quia re ipsa idem adorationis motus ad vtrumque spectat; tametsi non vna prorsus & eadem ratione is ipse motus, adoratio Christi, & adoratio Eucharistiæ dicatur: Nam Christo diuinitatis existimationem per se conciliat; ipsi verò Eucharistiæ, vt accidentibus panis & vini constat, minimè; sed ad eam dicitur secundariò spectare, vt continet Christum. Quam rem cùm ego antea explicauerim, nec tu aliter iam refutes, nisi repetendo quædam argumēta hæretica contra veritatem transubstantiationis, & rationē legitimam Eucharistiæ,

Folio 179. Apolog.

Fol. 22. 23. 25. & 26. spong.

ristiæ, q̃ partim à me priùs, partim ab aliis sufficienter sunt euersa, non debeo iterum exponere. Vt taceam interim, si maximè in Eucharistia panis restaret, quod vos hæreticè contenditis, non illico tamen sequi Idololatriã esse, Christum pane tectũ adorare. Nam neq; illi hoc se crimine obstrinxerunt, qui Christum olim vestitum venerati sunt:
Folio 184. Apolog. *Vt antea quoq; annotaui. Risum aũt Lectori excitare potuit cõmentatio tua Heerbrande, de verbo illo (distraho) quo cùm priùs*
Folio 22. b. spong. Folio 180. Apolog. *etiam vsus essem, ad explicandum, non esse adorationem Eucharistiæ ab adoratione Christi disiungendã, putasti me, nescio quas res in Sacramento velle discerpere. Lege, si placet, Calepinum, in quo vtiliùs credo, vel minùs certè, quàm in sacris literis perniciosè, operam tuam collocare posses.*

Folio 22. b. spong. CALVMNIA, *quam mihi denuò circa locum quendam Augustini extruis, refutata est à me priùs ita sufficienter, vt si pru-*
Folio 181. Apolog. *dens Lector locum hũc tuum cum meo conferat, nihil ampliùs ad fraudẽ tuam intelli-*

gendam

gendã requirere poßit. Quod enim dixi, me non ipsa verba Augustini citauisse, non ideo dixi, vt excusarem aliquod mendacium meum, sicut tu hîc malitiosè Lectori significas, sed vt accusarem tuum, qui impudenter finxisti, ea verba citauisse me ex Augustino; quæ non sunt ipsius, vt ita rursum mentiri posses, me illum falsò citauisse. Cur autem ad Eucharistiæ adorationem ex Augustino confirmandam, non indiguerim iis verbis, quæ tu dicis, et ego etiam fassus sum non esse Augustini, in Apologetico exposui.

IRENÆVM, *cùm Eucharistiam ait, ex terrena re & cœlesti constare, interpretatus sum de accidentibus panis & corpore Christi loqui. Obiicis, te priùs hanc interpretationem sciuisse, & apposuisse in margine. Respõdeo me hoc ipsum etiam sciuisse, & nunc scire, te neq; tunc, neq; modò illam refutare potuisse. Vnde & tunc subiunxi; Quæ interpretatio cùm ab Heerbrando refutari non potuerit, abundè sufficit*] *quod modò etiam repeto. Sed & ad illud, quod de* Vbi suprà lib. 4. ca. 34. Folio 185. Apolog. Folio 23. b. spong.

Folio 186. Apolog. *Caluinismo hic obiicis, tunc respondi; sicut etiam ad ea omnia, quæ attulisti contra veritatem transsubstantiationis, quæ non refutas, sed repetis. Illud autem ridiculum,*

Fol. 22. 23. 25. 26. &c. spong.

Folio 24. a. spõg. in priori disputat. cap. 5.

quod ais, dixisse me, quosdam non leuiter suspicari, Gelasij opusculum de duabus naturis, quod contra transsubstantiationem attulisti, Caluinistarum opera, Tiguri esse excusum.] Quasi verò de hoc, quod est certum & omnibus perspicuum, suspicio esse possit. Verba mea hæc fuerunt; Non leuiter quidam suspicantur, fragmẽtum illud, Caluinistarum opera Tiguri recusum, Gelasij non esse.] Qua de re non est opus repetere, quæ à me sunt dicta, & à te non refutata. Nam quòd Gelasiũ negas, vt Pontifex fuit, maiorem auctoritatem habuisse, quàm vt Doctor erat, inscitiam & hæresin tuam simul prodis; & extra propositum Melchiorem Canum hoc loco citas. Tum etiam à te allegatus Panormitanus, in eo, quòd priuatum Doctorem in fidei controuersiis, Pontifici anteponi aliquando posse iudicauit, à nostris

Folio 186. Apolog.

Folio 24. b. spong.

nostris est explosus, vt qui professione non Theologus, minùs considératè id scripserit.

EX Ambrosio autẽ me verba quædã citauisse, quæ non reperias in illo, eodẽ artificio fingis, quo paulò antè suadere lectori voluisti, me falsò allegasse D. Augustinum. Non enim ego Ambrosij verba, sed sententiam citaui, vt cõmuniter ab omnibus intelligitur. Nolle autẽ vos venerationẽ etiã externam Christo Domino, vt in Eucharistia existit, adhibere, cur dixerim, in Apologetico rationem reddidi. Neque verò aut iniustè aut frustra S. Synodus Tridentina vos hoc nomine anathemate percussit. Folio 25. a. spong. Vide in Apolog. fol. 187. Folio 33. a. Sess. 13. can. 6.

IAM B. Cyrilli Alexandrini epistolam, seu tractatum ad Calosyrium, vbi, vt antea citaui, insanire eos censeat, qui Eucharistiam citra vsum consistere negent, nihil mirari debes, te, vt ais, inter cætera ipsius opera Basileæ anno 62. excusa, nõ reperisse; Est enim Coloniæ primùm anno 73. Bonauẽtura Vulcanio Brugensi interprete, typis euulgata. Prætereo breuitatis causa multa, Folio 27. a. spong.

quæ de Eucharistiæ vsu & custodia, itemq; de sacrificio Missæ hæreticè disputas, quoniam alterius hæc disputationis sunt, & iam antè de his à me dictum est, quantum sufficiebat.

Fol. 25. 27. &c. spong.

QVANQVAM illud præterire non possum, quod impudenter Heerbrande suadere vis, Isaiam à me citatum, vbi orationes distinctè & holocausta, ac victimas in materiali Dei domo super altari impositas commemorat, de orationibus tantùm loqui, quas etiam appellauerit victimas. Hócne victimæ genus putas tu super altari materiali, in materiali Dei domo, hoc est, templo, collocari solitum? At inquis, de templo, Hierosolymitano loquitur, in quo quæro ais, num vnquam Missæ sint celebratæ pontificiæ?] Primùm quæro ipse quoque abs te, num in templo Hierosolymitano orationes, de quibus solis locum hunc intelligi vis, super altari collocari essent solitæ? Deinde cùm Isaias illic, quod tu etiam concedis, de sacrificiis noui Testamenti vaticinetur,

Fol. 27. b. & 28. a. Isai. cap. 56.

Fol. 192. in Apolog.

Folio 28. a. spong.

Folio 27. b. spong.

netur, non tantùm de Hierosolymitano tẽplo loquitur, sed de omnibus aliis etiã; quorum est in Ecclesia vsus: In quibus, quæro nunc rursus ex te, an nõ multæ sint Missæ celebratæ pontificiæ? Intelligas igitur, rectè à me locũ Isaiæ fuisse ad sacrificiũ Missæ accõmodatum. Quod etiam illa circumstantia textus confirmat, vbi gentes, sicut antea exposui, ad comedendũ, hoc est, ad Eucharistiæ vsum, inuitantur. Nã quæ ex epistola ad Hebræos contrà opponis, & Malachiæ testimoniũ de oblatione munda in omni loco deprauas, commenta vestra sunt hæretica, sæpius refutata & euersa. Instituto meo satis modò est, te nunquam probauisse, neq; probare vnquam posse, in veneratione Eucharistiæ, alicui creaturæ nos diuinũ honorem deferre sicut Deo, hoc est, ita, vt velimus aliquo modo illi existimationem conciliare diuinam. Quare cùm demõstratum sæpius à me & expositũ sit, nõ alia ratione nisi hac, Idololatriã committi posse, vt ex definitione quoq; Doctoris clarissimi, sicut appellas,

Vide folio 192. & 193. Apolog. Folio 27. & 28. spong.

Vide suprà in defensione ca. 1.

est

est perspicuum, non impio solùm, sed vana etiam labore te fatigas Heerbrande, cùm Eucharistiæ adorationem, Idololatriã esse contendis.

RESPONSIO AD OBIECTA CONTRA CAP. VI. APOLOG. QVO VENERAtionem Sanctorum ab Idololatria plurimùm abesse demonstratum est.

QVI paulò diligentiùs expenderit, quæ à te priùs, vt Sanctorum venerationem Idololatriam esse probares, & à me, vt eam ab improba tua calumnia defenderem, scripta sunt, is facilè animaduertet, eorum, quæ iterum hoc loco valde prolixè coaceruasti, hanc ferè summam esse: Primùm sententiam meam plerunque aut truncatã, aut deprauatã refers, vel attingis potiùs præcipuis omißis, quæ ad controuersiæ explicationem conscripseram; tum argu-

argumenta tua vel conuicia & blasphemias ponis; cumq́ illa, quæ respondi priùs & confirmaui, refutare aliter non vales, ad vanissimum illud asylum tuum cõfugis, vt nempe ex me requiras diuinum mandatum venerandi hac vel illa ratione Sanctos; quod facis sæpissime. Ita non obscurè testaris, te, vt venerationem Sanctorum tanquam Idololatriam oppugnes, hoc solo argumento duci, vt qui illo semper fulcire reliqua, quæ per se deficiunt, opus habeas. Sed cùm ex hoc etiam loco ac perfugio tuo, nunc et antea quoq́ sic te deiecerim, vt nisi Iudæus esse velis, nequeas persuadere tibi, cultus omnes spontaneos diuinitus prohiberi, & Idololatriã esse: tu vide, quàm iustè possis iam à me, cum omnibus nugis tuis, quas hoc loco repetis, absque alio responso dimitti.

Vide fol. 28. b. 29. a. & b. 30. a. 35. b. 37. a. 44. b. 45. b. &c.

Suprà in defens. cap 2. & in Apolog. fol. 126.

SED *quamuis doctrinam meam opus non sit repetere, sed Lectorem tantùm monere, vt collatis vtriusque scriptis, videat à te prorsus non esse impugnatam; attingam*

tamen

tamen in gratiam tuam cauillatiunculas eas, in quibus tibi magis videris placuisse. Ac primò, expositionem illius loci; Abraham nesciuit nos &c. quam[a] ego ex Augustini[b] mente adhibui, tu tacito malitiosè Augustini præiudicio, meam deprauationem esse dicis. Interim, cùm ex eiusdem Augustini[c] sententia probauissem, certum esse, Sanctorum subsidio viuos, qui eosdem exorant, adiuuari, atque adeò ab iisdem exaudiri,[d] concedis tu quidem, hoc Augustinum sensisse, sed minimè inquis, conuenienter diuinæ Scripturæ. Quasi verò tanta apud me valeas Heerbrãde authoritate, vt existimare debeam, magis tuam hæresim cum diuinis literis, quàm Augustini sententiam Orthodoxam congruere. Nam quod ais, illum[e] alibi ex diuina Scriptura probauisse, ignorare animas defunctorum; quid in hac vita agatur etc. id ex eiusdem Augustini verbis in medium productis ostendi, non ita intelligendum esse, quasi munere diuino nihil de viuorum rebus cognoscant, sed

Isai. 63.

a Fol. 205. Apolog.

b Li. de cura pro mort. agenda c. 15. & 16. vbi exponit quod c. 13. ex illo loco docuerat.

c Ibid. Vide fol. 39. b. & 40. a.

d Fol. 33. a. spong.

e In illo lib. de cura pro mort. agenda ca. 13. Folio 208. Apolog.

sed docet, eos per naturam propriam id non posse. Quam tu expositionem quia refellere, cùm ipsius Augustini sit, non potuisti, callidè dissimulâsti.

AIS *etiam crimen falsi esse, quod dixerim, nos, cùm Sanctorum intercessione vtimur, id facere quod bonum est, & acceptum coram Saluatore nostro Deo, vt Apostolus loquitur. Fuisset quidem hoc crimē meum, si verba illa omnia, quæ iam retuli, Apostoli fuisse dixissem; cùm autem hoc non fecerim, sed tantùm verba Apostoli vsurpauerim ad sententiam Orthodoxam, quam etiam ex Apostolo deduxi, significandam, nō meum, sed tuum est Heerbrande crimen falsi, quod falsi crimen, falsò mihi obieceris. Sic cùm Augustinus in illū Psalmi versiculum; Leuaui oculos meos in montes, vnde veniet auxilium mihi; montes interpretetur homines claros & magnos, vt Ioannes Baptista erat, &c. iure possumus etiam intelligere Sanctos, qui cum Christo regnant, & sunt lumine gloriæ clarissimi. Quare nō debuisti*

Folio 30. b. spong.

1. Tim. 2.

Vide Apol. fol. 200. & deinceps.

Psal. 120.

Folio 31. b. spong.

debuisti Heerbrande indignè ferre, quòd idcirco in margine Lectorem iusserim eum locum videre.

Lib. 22. de ciuit. Dei c. 29. QVOD *praeterea idem Augustinus disputat, beatos, cogitationes cordis & longè posita perspecturos esse, cùm* DEVS *erit omnia in omnibus, sic ille de beatis post futuram resurrectionem affirmat, vt tota disputatione tamen euidenter indicet, hanc ipsam assertionem suam, ad beatos quoque huius temporis intermedij pertinere; atque ita de omnibus omnino beatis absque exceptione se loqui, tametsi quaestionem inprimis de futuro seculo proposuerit. Etenim vt sententiam suam confirmet, rationem ex ea beatitudinis perfectione ducit, quae beatis omnibus est cõmunis: Vt, quòd nunc videmus per speculum in aenigmate, tunc*
1.Cor.13. *autem facie ad faciem; Item, quòd nunc ex parte cognoscimus, cùm venerit quod perfectum est, euacuabitur quod ex parte est: Ex quibus et aliis sententiis ad omnes beatos pertinentibus, tum etiam ex eo, quod*
4.Reg.5.

Helisaeus

ſæus diuino munere cogitationes cordis, & longè poſita vidit, eo etiam loquendi modo, qui in omnes beatos cuiuſcunque ſeculi quadrat, tandem ſic concluſit; ſed quantò ampliùs tunc omnes munere iſto abundabunt, cùm Deus erit omnia in omnibus?] *Quocirca vel hæretica illa tua libertate nega, his, qui hoc tẽpore beati ſunt, Deum omnia eſſe, aut eos euacuaſſe, quod ex parte eſt, aut Deum facie ad faciem videre; vel ſi hæc, quæ ſunt certiſſima, concedis, fatere quoque, Auguſtini ſententiam hoc loco ad omnes omnino cuiuſcunque temporis beatos pertinere, atque adeò te perfidè feciſſe, quòd in eo Auguſtini teſtimonio pro inuocatione Sanctorum citando, accuſaueris iniuſtè fidem meam.* Folio 32. b. ſpong.

DICIS *porrò, argumentum quoddam tuum puerile, quod te ex Apoſtolo deſumpſiſſe ſomniaſti, vbi dicit; Quomodo inuocabunt, in quẽ non crediderunt? &c. me nõ bona fide recitauiſſe. Sed ſi Lector citata loca cõtulerit, videbit potiùs, hoc te nõ bona* Vide Apolog. 208. fol. 33. b. ſpong. Rom. 10. Vide folio 209. & deinceps Apolog.

conscientia obiecisse mihi, sed voluisse hoc colore dissimulare pudorem tuum, quoniã sentis, argumentum id imperitè à te fuisse constructum, & perspicuè iam esse refutatum. Quod & ipse iam confirmas: Nam à veritate coactus, sententiam illam Apostoli exponis de inuocatione vera Dei, quam dicis esse necessariò coniunctam cum fide in eum, qui inuocatur. Hæc enim sunt verba tua: Est autem indefinita, vt Dialectici loquuntur, Apostoli sententia, æquipollens vniuersali, & res sunt coniunctissimæ adeoq; inseparabiles fides, & vera Dei inuocatio, quæ sine illa fieri nequit. Quomodo inquiens, inuocabunt, in quem non crediderunt?] *Quibus verbis cùm argumentum tuum confirmare volueris, ipsum refutasti. Nam cùm nos non precemur Sanctos eiusmodi vocatione, qualis est inuocatio Dei vera de qua D. Paulus agit, minimè sequitur, nos in ipsos, vt in Deos credere, sicut tu colligebas. Sed de hoc argumento tuo aliâs dixi plura, quàm talis argumenta-*

Folio 33. b. spong.

Vide folio 209. &c. Apol. & in priori disputat. mea cap. 4.

mentator, qualis es tu Heerbrande, merebatur.

IAM *orationem illam Iacob; Et inuocetur super eos nomen meum, nomina quoque patrum meorum &c. ideo induxi, vt sententiam Augustini referrem, qui ex eo loco confirmat, inuocationis verbum, aliquando pro petitione intercessionis Sanctorum accipi: Qua de re, cùm controuersia sit nominis, dixi me non valde pugnare velle. Vnde, quod ad rem quidem attinet, nec ipse ex eo loco probare volui inuocationem Sanctorum. Nam non eram, vt tu Heerbrande nimis licenter nugatus es, immemor eius, quod antea significaueram, nempe non penitus certum esse, vtrùm Patres veteris testamenti, iam vita functi (ad quos oratio illa Iacob pertinebat) exaudirent viuorũ preces, cùm non essent adhuc beati. Neq; ideo tamen absolutè, vt tu falsò recitas, negaui, eos Patres percepisse viuorum orationes; tantùm indicaui, rem non esse adeò certam.*

Genes. 48. Folio 212. Apolog.

Folio 34. b. spong.

Folio 205. Apolog.

In priori dis put. con. 40. & deinceps. AD precatiunculas quod attinet, cùm antea plurimas collegisses ex missalibus, & sequentiis, & horariis, & antidotariis, & horarum cursibus, nunc ætatis tuæ immemor, qui vt dicis iã senex es, puerili hoc ludẽdi genere ita oblectaris, vt partim priores repetas, partim alias eiusdẽ farinæ adiungas. Quasi verò nõ intelligeres tu, precãdi eas formulas, aut cõmodè exponi posse, aut si quæ sunt minùs aptæ, priuatorũ simplicitatẽ recto cultui Sanctorũ præiudicare nec posse nec debere. Sis igitur tu Heerbrãde, in posterum paulò prudentior, quàm Kemnitius, qui ista priùs quàm tu, non minore vanitate, quàm diligentia collegit, nec aliam laudem apud prudentes obtinuit, quàm vt hoc nomine rideretur, sicut etiam tu, quòd ab illo, vt apparet, sis mutuatus, & nobis toties obieceris, factus es ridiculus.

Folio 61. a. Ipong. Folio 35. & deinceps in Ipong. In examine sessionis 25. Conc. Trid.

Folio 214. & deinceps Apolog. EST à me aliàs totius huius generis explicata ratio: atq; item expositum, cur pro diuersis beneficiis à Deo impetrandis, diuersorum

uersorũ intercessionem Sanctorũ interdum Catholici implorent; quia hoc videlicet deuotionis genus, cùm ad pietatis studium excitandum valeat plurimùm, euentu atque vtilitate mirabili diuinitus sæpe approbatum est. Nam quòd ais, non prorsus ex fide constare, num hæc diuinitus patrentur, nihil obstat, quò minùs ob certitudinem alterius generis, quam ea de re habemus, prudenter animum inducamus credere, Sanctorum à nobis patrocinium legitimè implorari. Neque nos, vt ita statuamus, miraculis præcipuè mouemur (tamesi et illa etiam, cùm alia motiua suppetunt, non parum inuitant ad credendum) sed verbo diuino, quod, vt ex me, et ex aliis sæpius audiuisti, nõ tantùm Scripturæ literis consignatum est, verùm etiam Ecclesiæ voce sonat. Folio 44. spong.

AC tantùm abest, vt hæc Sanctorum intercessio nos à vera Dei inuocatione, ad alienos Deos, sicut tu improbè calũniaris, abducat, vt magnopere etiam illa excitemur adiuuemurq́; ad inuocandum, maiori

Fol. 42. 43. 44. &c. *cum studio et reuerentia Deum. Quibus de rebus cùm à me priùs copiosè disputatũ sit, non est modò prolixè disserendũ. Relege, & considera diligentiùs Apologeticũ. Ac posses etiam occasione data, vel si mauis, quæsita, auditoribus tuis quæstionem proponere, nũ idem Scripturæ locus poßit habere plures* Folio 41. a spong. *sensus, qui omnes veri sint. Quod vbi à te rectè constitutum fuerit, ipse iudica, an meritò me reprehenderis, quoniã locum illum* Psalm. 149. *Dauidis; Exultabunt Sãcti in gloria, lætabuntur in cubilibus suis, exultationes Dei in gutture eorum, & gladij ancipites in manibus eorum, ad faciendam vindictam in nationibus &c. ad Sanctos, vobis ꝑpter blasphemias vestras iurè infensos, accommodauerim.*

SED *hoc, vt dixi, tu si placet, delibera; alterum autem, quod similiter assecutus nõ* Folio 229. Apolog. *es, ego iam te docebo. Dixeram, inuocationem Sanctorum Scripturæ auctoritate niti, hac etiam ratiocinatione confirmari* 1. Tim. 2. *posse: Ex diuina Scriptura constat, bonum & placitum*

& placitum esse, vt alij aliorum intercessione vtantur; & Sanctos item quamuis non corpore, spiritu tamen viuere, cùm non sit Deus mortuorum, sed viuorum; & nos amare, & fœlices esse, qui proinde exaudire nos velint, & possint: consentaneum igitur diuinæ Scripturæ est, Sanctos inuocare. Hic tu, cùm non Theologiæ modò, sed Dialecticæ quoque sis expers, quoniam conclusionem fortasse non vidisti expressè contineri in iis, quæ assumpseram, miratus es collectionem meam; quasi non aliud debeat esse, quod ad probandum sumitur, et aliud, quod cõcluditur ex eo. Vt igitur huius conclusionis vim Heerbrande, animaduertas, quæro causam abs te, cur censeas Sanctos inuocandos non esse. Necesse est aliquam ex his causis assignes, nẽpe, vel à Deo id prohibitum, ac proinde ingratum Deo esse; vel ipsos Sanctos audire, & adiuuare nos non posse; vel si possunt, certè nolle. Si enim & Deo id gratum est, & ipsi Sancti exaudire & adiuuare nos possunt & volunt, nihil

Marci 12. & Luc. 20.

Folio 46. Spong.

 obstat,

obstat, quò minùs conuenienter eos inuocemus, cùm alioqui dubium nō sit, quin nobis ipsorum patrocinium sit vtile. Est igitur Heerbrande, hæc recta conclusio: Aliorum intercessione, atq; adeò etiam Sanctorum, qui cum Deo sunt coniunctissimi, vt adiuuemur, placitum est Deo: alioqui nunquam ipsi Sancti per se intercederent pro nobis, quod tu etiā eos facere concedis: Rursus, cùm Sancti spiritu viuant, & beati sint, & plurimùm gratia apud Deū valeāt, exaudire et adiuuare nos possunt; cumq; nos etiam magna charitate diligant, adiuuare nos volūt: ergo conuenienter facimus, quòd illos inuocamus. Consecutio est bona, vt apparet ex enumeratione illa causarum, quæ obstare possent, quò minùs vtiliter Sancti inuocarentur: propositiones autē assumptæ omnes, diuinæ Scripturæ sunt consentaneæ, vt aliâs à me probatum est: igitur propositio consequens, est etiam Scripturæ congruens; ac proinde inuocatio Sanctorum, secundùm veram & solidam Theologiam,

Nulla omnino causa est quamobrē censere debeamus, Sā-ctos inuocā-dos nō esse.

Folio 200. & deinceps Apolog.

logiam, Scripturæ diuinæ auctoritate nititur. Cæcus es Heerbrande, si iam non vides & vim conclusionis meæ, & cæcitatem tuã, quòd illam etiam priùs non videris.

QVERERIS *præterea, te ob argumẽtum quoddam tuum à me fuisse irrisum. Verùm si notauerit Lector, quanta cum vanitate illud, per se quoque vanissimum, mihi opposueris, minimè poteris eum, dolore hoc tuo, ad tui miserationem aliquam commouere. Nam vbi argumentum illud absurdissimè conclusisti, ita mihi homo senex, leuissimè insultasti: Hîc respondeat Hispanus, hîc Rhodus, hîc Saltus.]* Folio 46. b. spong. Vide folio 230. Apolo. Heerbrandi petulantia.

ETSI *verò probem moderationẽ tuam, quòd hoc loco paulò summissiùs de te ipso, argumentóque tuo sentias, admiror tamen absurditatem ingenij tui, quòd, vt argumentum illud confirmes, sententiam Diui Pauli; Omne quod non est ex fide, peccatum est, vnde desumptum erat, ita exponis, vt ipse te magis implices & redarguas, & Sanctorum inuocationem diuini verbi aucto-* Rom. 14.

ritate niti probes. Cùm enim concessisses, eam sententiam ad politicas etiam actiones pertinere, tum subiungis: De quibus etiam certos nos esse oportet ex verbo Dei, si nō in specie de singulis: quis enim casus, qui sunt infiniti, singulos sub regula definire & comprehendere posset; certè in genere ex eodem Dei verbo certiores nos esse oportet, sicut Apostolus ibidem inquit.]

Fol. illo 46. b. spong.

Quô retulerit Apostolꝰ sententiam illā; Omne quod nō est ex fide, peccatum est, Itemq́ue de vero illius sensu.

VBI *primùm prætereo, ex hac expositione tua, si non aliter Apostoli locum intelligas, consequens esse, actiones illas, quas ex genere suo, fides docet esse bonas, & ob singularem tantùm circumstantiam prauæ sunt, non damnari propriè illo loco ab Apostolo; cùm tamen ipse sententiam illam eô contulerit, vt ob circumstantiam erroneæ (vt appellant) conscientiæ eius, qui Iudaico more discernēdum sibi inter cibos putârit, damnet ciborum vsum, qui alioqui secundùm genus & naturam suam verbo Dei approbatur. Quod & Apostolus eodem in loco illis verbis significauerat; Omnia quidē sunt*

ſunt munda,&c. Sic etiam ibidem ſignificat, ciborum eſum, ob circumſtātiam item offenſæ fratrum, cauendum eſſe, tametſi quis ex fide alioquin certus ſit, illum eſſe per ſe bonum. Quò pertinet illud; Tu fidem habes? penes temetipſum habe coram Deo; Ibidem. *Tanquam dicat, minimè te ea fides excuſat, quò minùs pecces, ſi cum fratris offenſione cibum ſumis. Itaque aberras ab Apoſtoli ſcopo Heerbrande, ſi fidem eo loco ſolùm interpretaris eam perſuaſionem, qua ex verbo Dei certò debeat homini conſtare, id quod facit, licitum eſſe, ſiue in genere, ſiue in ſpecie. Non hoc propriè agit, ſed docet, vt antea quoq; admonui, quicquid omnino fit, etiam quoad circumſtantiam ſingularem, contra rationis & iudicij dictamen, (ſiue illud ex fide certum ſit, ſiue in opinione ſit poſitum) vel vt aliqui volunt, quicquid fit ex infidelitate, id totum eſſe peccatum.*

SED *ſit ita Heerbrande, non aliud Apoſtolus voluerit, quàm quod explicaſti; nihil pro-*

profectò expositio illa tua, ad inuocationem Sanctorum refellendam te iuuat, sed vt dixi, potiùs redarguit. Nam cùm illa eiusdem generis sit, cuius est inuocatio viuorum, si hæc, quod negare non potes, apertè verbo Dei approbatur, illa quoque approbatur in genere. Nisi fortè Sanctos nunc animo non viuere; aut inuocationem, qua preces alicuius in hac vita petuntur, non ad illius animum inprimis, sed ad corpus dirigi arbitraris; vt pro ingenio tuo differentiã nobis genericam assignare possis, inter inuocationem hominis in hac vita militãtis, & Sancti in illa beata, cum Christo viuentis & triumphantis.

Hoc ipso quod Scriptura cõmẽdat inuocationem viuorum, commendat etiã in genere inuocationem Sanctorum vita defunctorum.

DICES *fortasse, Sanctorum inuocationem, cùm ad cultum pertineat, non in genere tantùm, vt actiones politicæ, sed in specie quoque, Dei verbo approbari debere: quod illis testimoniis probabis: Quod præcipio tibi, hoc tantùm facito Domino* DEO *tuo &c. Item; sine causa colunt me &c. Sed primùm ipse iam fassus es, ex illo Apostoli loco,*

Deuter. 12.
Matth. 15.

loco; Omne quod nō est ex fide &c. non amplius colligi, quàm quòd oporteat ex fide constare, genus saltem operis esse rectum. Itaq; inuocationem Sanctorum, quoniam in specie in sacris literis expressa nō sit, peccatum esse, ex eo testimonio probare non poteris; sicut antea ineptè contendebas. Deinde, quod attinet ad alia testimonia, ex Deuteronomio, & ex Matthæo, quàm hæc à te vel Iudaicè, vel Hæreticè accipiantur, iam suprà demonstraui. Postremo eiusmodi testimonia, vtcunq; à vobis alioqui deprauentur, nequaquam de Sanctorum cultu, sed de cultu tantùm religionis erga Deum intelligi possunt, vt apparet ex illis verbis; Hoc tātùm facito DOMINO DEO TVO, *&c. Et ex illis itē; sine causa colunt* ME *&c. Cultus autem Sanctorum, sicut neque aliorum hominum, propriè non est cultus religionis erga Deum, sed alterius definitæ virtutis, re ipsa à religione distinctæ, nempe singularis obseruantiæ, vt aliâs te docui; quamuis & hic ipse Sanctorum cultus, sicut &*

Scripturæ testimonia quæ ab aduersariis, vt cultum non præceptum damnēt, deprauantur, nō posse ab illis ad Sanctorum cultum oppugnādum in torqueri.

In Apol. fol. 197. & 224. & in priori disput. ca. 4. contra Caluinum.

& cuiuslibet virtutis actio, ex religione potest, ac etiam solet, in diuinam gloriam referri. Quocirca testimonia illa Heerbrande, non magis vrgere potes, vt praeceptum diuinum, vel verbum Dei, de veneratione Sanctorum in specie requiras, quàm vt haec ipsa postules in aliarum virtutum officiis, nempe iustitiae, liberalitatis & caeterarum, quarũ est in vita politica necessarius vsus.

Fol. 199. & 229. &c. Apolog.

Mitto etiam, probauisse me, inuocationem Sanctorum in specie quoque diuino verbo commendari. Quod tu ideo Heerbrande negas, quia verbum Dei nescis, & vbi aut quomodo sonet, ignoras.

Folio 232. Apol. & c. 5. prioris disputat.

RESTAT *vt videamus, quemadmodum crimen illud falsi eluas, quod iure obieci tibi, cùm Eckio homini doctissimo affinxisses commentum illud, scilicet inuocationem Sanctorum non solùm mandato, sed etiam verbo Dei carere. Aliud enim inquam, longè est, inuocationẽ Sanctorum non esse diuinitus praeceptam, vel euidenter ac speciatim in sacris literis expressam,*

quod

quod Eckius non malè dixit; aliud, verbo Dei non approbari, quod tu comminisceris & affingis Eckio. Hîc tu, quòd hoc nomine te accusauerim, mendacem me appellâsti; & probas, quoniam Eckij ais, [sunt verba.] Ita crimen crimine cumulas. Nam Lector hæc verba apud Eckium inueniet; Explicitè nõ est præcepta Sanctorum inuocatio in sacris literis.] Item ista; noluit ergo Spiritus sanctus expreßis Scripturis docere venerationem Sanctorũ.] Sed inuocationem Sanctorũ, & verbo & mandato Dei carere, quæ tu Heerbrande dicis esse verba Eckij, non inueniet, atque ita deprehendet, quantus sis amicus veritatis. Intellexit enim Eckius, cùm esset eruditus & pius, verbũ Dei latiùs quàm Scripturas patere: quod tu nõ credis, quia, vt antea significaui, ex eorum grege es, qui soli hoc non credunt, nempe Hæreticorum. Sed quæso Heerbrande, vt ad propositum redeamus, quando tandem probare poteris, venerari Sanctos, nihil aliud esse, quàm alicui creaturæ aliter, quàm ipsi

In loco de veneratione Sanctorum sub finem. Folio 47.a. spong.

potest

Vide suprà quæ de Gersonis definitione, ab illo allegata, sũt dicta, circa cap. 2.

potest competere, diuinum honorem attribuere, vt ait Doctor clarissimus? aut potiùs, quando miser finẽ facies calumniandi Ecclesiam, & Sanctis impiè detrahendi. Sed ad sacras imagines veniamus.

DILVTIO CAVILLATIONVM IN VII. APOLOG. CAP. QVO IMAGINVM sacrarum cultus, ab Idololatriæ crimine est vendicatus.

EXPOSVI *priùs, & vt mihi videtur, planè, quemadmodum imaginibus in Ecclesia sic suus honor habeatur, vt longè tamen diuersissima ratione honorentur eæ res, quarum sunt imagines; ac proinde ne ipso quidem Christi imaginum cultu, diuinum honorem imagini per se deferri, sed Christo* DEO *ac Domino nostro. Quod tu Heerbrande, neq; refutare hactenus, neque intelligere potuisti. Quare cùm doctri-*

doctrinam ipsam repetere superuacaneum sit, cauillationes tuæ tantùm, sicut feci suprà, notandæ mihi erunt.

Ac primùm quod ad controuersiam ipsam attinet, quæ ratione partim ea facti sit, partim qualitatis siue definitionis, quod hic iterum attingis, iam est à me suprà expeditum. Nam quòd ais, in confesso esse, adorare nos imagines; si adorationem nihil aliud, quàm venerationem ipsis conuenientem interpreteris, vt id verbum interdum à nostris vsurpatur, verum est; sed cùm de hoc constet, quæritur de facto rursum, vtrùm eo animo & ratione imagines veneremur, vt honores illis diuinos, sicut Deo adhibeamus; quæ est etiam facti quæstio. Quanquam vtrùm hoc ipsum, & an solùm hoc Idololatria sit, vt antea etiam docui, quæstiones sunt qualitatis. Quarum pars affirmans cùm fuerit iam aduersùm te constituta, probare nunc debuisses factũ, nẽpe nos honorẽ diuinũ habere imaginibus sicut Deo. Vt si, quod ad quæstionẽ qualita-

Folio 48. b. spong. In de fes. quinti c. Apolog.

tis attinet, definiatur primò, furtum esse acceptionem rei alienæ, inuito Domino; & constet etiam, quod ad factum spectat, Petrum V. G. pecuniæ summam ab Ioanne accepisse; ac tum rursus de facto quæratur, inuitóne Ioanne acceperit, an lubente; quò ita demum definiri possit, fúrne fuerit? Sic iam est Heerbrande constitutum, Idololatriam esse solùm, creaturæ diuinum honorē sic attribuere, vt debet attribui Deo: & constat etiam, quod ad factum attinet, Catholicos eo genere venerationis imaginum vti, quod patet omnium oculis; sed quæritur de facto rursum, num illi eo animo & ratione imagines venerentur, vt ipsis per se diuinos honores attribuāt, sicut Deo, quò ita demum statui possit, num illi Idololatræ sint, an verò vos calumniatores mendaces.

Cap. 1. & 2. Apol. & suprà in corū defens.

ITAQVE *neque iam Heerbrande, inepti notam effugies, quòd hoc loco, vbi de facto agitur, Scripturæ testimonia requisiueris. Cùm autem hæc circumstantia facti,* vt

Folio 47. b. spong. Vide etiam fol. 233. in Apolog.

vt vides, probanda tibi iam restet, duplici tamen de causa probare illam nō potes; primò quia neq; Deus es, neque valde perspicaci ingenio, vt de nostro animo meliùs tu, quàm nos ipsi iudicare possis. Deinde quoniam quid sit, honorem diuinum dare Deo, & alicui creaturæ vt Deo, etsi sæpe tibi explicauerim, nondum tamen intelligis. Itaque malè potes eam rationem siue circumstantiam facti comprobare, quam minimè nosti; præsertim cùm, si maximè eam nosses, ne tunc quidem illam in cultu nostro posses inuenire; nam abest ab illo quàm longissimè.

Vide folio 147. & deinceps in Apol.

S E D *videamus reliqua. Iulianum Apostatam refers docuisse, gentiles etiam aliquos non ipsis imaginibus per se, sed repræsentatis rebus, vt nos, honorē detulisse. Audio: sed ad quósnam eum honorē referebāt? Nimirū ad Deos falsos. Sic enim ille inquit, vt tu ipse quoque imprudenter citas: Qui cupiditate tenentur sapientiæ, & res Deorum accuratè considerant &c.*

Folio 48. a. spong.

In Psal. 113.

AVGVSTINI *locum, vbi de illis Ethnicis agit, qui honorem ad prototypum etiã referebant, multis de causis ordine enumeratis, prius docui ad nos non pertinere, cùm nos venerationem imaginum non referamus, vt illi, ad creaturam aliquam, vt ad Deum: quæ tu iam non refellis, sed pertinaciter cauillationes tuas repetis, quas antè refutaui. Sic, quòd iterum illud inculcas: Non facies tibi sculptile &c. non indiget noua responsione.*

Folio 250. & deinceps Apolog.

Fol. 48. a. & 54. b. spong. Ibidem b.

Exod. 20.

QVOD *autem dixi, non absurdè putari posse B. Petrũ, cùm ab illicitis idolorũ cultibus, vt fideles cauerẽt, monuit, insinuauisse aliquẽ esse simulachrorũ cultũ licitũ, nẽpe, vt dixi, sacrarũ imaginũ, nõ ita intelligere debes, quasi voluerim ex D. Petri sentẽtia, aliqua idola gentiũ licitè potuisse honorari. Nam vt hunc sensum remouerẽ, illa verba addidi; Nempe sacrarum imaginũ. εἴδωλον enim græcè, iuxta nominis Etymon, imaginem siue simulachrum significat; tametsi eã vocem ad impia simulachra, vsus accommoda-*

Vide folio 241. Apolog.

1. Petri 4.

Ibidem.

modauerit; in qua quidem significatione, nefas est, venerandas Ecclesiæ imagines nominare idola. Neq; aliam illam loci versionem, quam tu affers, tanti faciendā esse iudico, quanti vulgatam versionem. Folio 49 a. Spong.

PERMIRVM *autem mihi fuit, tanta tamq; cæca cupiditate incensum fuisse te, in Apologetico meo aliquid ad calumniandū inueniendi, vt putaueris, dicere me velle, venerationem imaginum, sentētia tua, in Scripturis nō prohiberi. Sic enim interpretatus es illa verba mea: At non satis Heerbrando fuerit, quòd imaginum veneratio non prohibeatur in Scripturis: Scripturas requirit, quibus illa etiam probetur.] Quasi verò tua ut nunquam, aut raro mihi obiecisses illud: Non facies tibi sculptile; vt de tua hæresi dubitare possem. Sensus orationis meæ fuit, te vtrumque, vt confirmarem, voluisse, videlicet & imagines non prohiberi, & illas deinde in Scripturis cōmendari. Itaq; cùm in me admodum immoderatè, velut in calumniatorem tuæ sentē-* Ibidem. Ita fol. 242. Apolog.

tiæ es inuectus, non tam in me, quàm in
Folio 50. a. fpong. *cæcitatem et impotentiam tuam, homo furore cæcus, impetum fecisti. Quæ contra Ecclesiæ traditiones rursum opponis, aliàs*
Circa ca. 2. Apologet. *refutata sunt: & iam ex Augustino supra*
Galat. 1. *illud exposui; Si quis aliud Euangelizauerit.*
Deuter. 12. *Sic etiã sæpe iam docui, quàm peruersè loco illo, quem hîc repetis, abutaris, nempe; Quod præcipio tibi, hoc tantùm facito etc.*

NVNC *quod ad Patrũ auctoritates à te*
Vide in Apolog. fol. 244. & deinceps. *priùs allatas, & iã repetitas attinet, cùm à me priùs sufficiẽter etiam explicatæ sint, pauca tãtùm attingam. Epiphanij testimonia, quæ refers, sæpe sunt aliàs exposita; peculiariter autem, cùm ait; diabolus mortalem naturam in oculis hominum deificans, statuas, imagines humanas præseferentes, per artium varietatem expreßit &c. artificium & vsum prauum imaginũ, qualis viguit apud gentiles, notat. Et priùs*
Folio 248. Apolog. *docui, authoritate Epiphanij, nisi illum à nobis exponi patiamini, non minùs vrgeri vos, vt ne ad vsum quidẽ historicum, imagines*

gines vestris in tēplis toleretis. Nam illius de imaginibus sententiæ, ni rectè accipiantur, tum venerationem, tum vsum omnē imaginum æquè videntur condemnare. Quod cùm ego obiecissem tibi, respondes, historicum vsum imaginum à tuis tolerari vt adiaphorū. Atqui hoc Heerbrande priùs etiam dixeras; Sed illud ego contendebam, si tantopere Epiphanij verba vrgere velis, ne vt adiaphorum quidem, vsum imaginū tolerari debere; Quod expedire minimè potuisti. Iam Augustinus hæresim siue superstitionem priuatam Marcellinæ et Carpocratianorū, vt antea respondi, inter hæreses recenset, sed non totum ipsum genus venerationis imaginum, sicut tu antea & nunc etiam deprauas. Sic etiam Gregorij sententiam, quam ego tibi opposui, non recitas integrè, sed malitiosè præteris, quod ad meum institutum facit. Item cùm ais, me epistolam, quam tu ex illo allegasti, omisisse, planè facis iniuriam veritati: cum qua tibi maior Heerbrande, quàm mecum

Folio 51. b. spong. In disputat. prior. ca. vlt.

Hæresi. 7.

Folio 51. b. spong. Fol. 248. a. Apolog.

Folio 53. a. spong.

Ibidem.

Vide folio 247. &c. Apolog. & disput. priorem cap. vltimo. Alanus Copus dialogo 4. & 5.

videtur esse controuersia. Lector videat et cõferat loca, et execretur fidẽ Hellbrãdinã.

IAM si probare volebas, Synodo verè Francfordiana Nicenam alteram, quæ est habita pro imaginibus, fuisse damnatam, is erat tibi confutandus primùm, à quo dixi, figmentum hoc vestrum mendacij conuictũ esse. Ego enim actum agere non constitui. Et Auentinus, quem citas, decipi ea in re potuit, sicut alij multi, quos vos decepistis. Tum doctrinam sententiamq́; Cassandri, si apud me pondus auctoritatis habere volebas, non debuisses mihi tu Heerbrande tantopere commendare. Ego enim sic sentio, qui vos vestraq́; nouerint, & tamen de rebus controuersis ea scripserint, quæ vobis probentur, eos certè, quamuis animo fortè sano, adeoq́; Catholici fuerint, (nullius enim personam iudico) vera tamẽ non scripsisse. Adeò mihi videmini iudicare falsum verum, & verum falsum. De Augustini loco, vbi illos Ethnicos commemorat, qui imagines per se non colebant, iam antea dixi, te non refutauisse explicationem

Fol. 53. a. Folio 53. b. spong.

Folio 52. & 53. &c.

In Psalm. 113.

tionem meam; sicut nec ea conuellis, quæ de illa altera eiusdem Augustini sententia disserui; Quis autem adorat vel orat, intuens simulachrum &c. sed repetis more tuo. Habes quoque in Apologetico explicationem illius loci Apostolici: Qui cùm Deum cognouissent, non sicut Deum glorificauerunt, &c.

Ibidem. Folio 254. Apolog. Folio 55. spong. Folio 158. Apolog. Rom. 1.

QVOD *adprecationes eas attinet, quibus imagines in Ecclesia benedicuntur, non est opus ea repetere, quæ sunt à me dicta priùs, quæq; satis erunt Lectori, ad eorum, quæ repetis, inanitatem perspiciendam. Nam quòd iterum, cùm aliter mea refutare non potes, mandatum Dei quæris, quo imagines benedicendæ sint, facis, vt superiùs dixi, Iudaicè; & pudere deberet te hac ratione toties testari, quod ad reliqua argumenta attinet, te esse victum, atque adeò omnino cecidisse causa; cùm hoc etiam inanissimum argumentum sit suprà confutatum. Quòd si verba precationum, interdum ad Crucem, vel imaginem dirigi*

In Apolog. folio 257. & deinceps. Folio 55. & 56. spong. Fol. 56. a.

Quomodo precationũ verba accipienda sint cùm ad Crucem vel imaginem dirigi videntur. Folio 56. a. spong.

videntur, ea, vt antè dixi, ad rem significatam spectare intelligenda sunt; vt cùm dicitur: O Crux aue spes vnica, &c. cum Christo sermo instituitur. Sed inquis tu, vbi verba sunt clara, interpretatione non esse opus.] *Posses eodem argumento probare, ineptam esse illam orationem Hieremiæ:*

Hierem. 2. Lucæ 19.

Obstupescite cæli super hoc &c. imò illam CHRISTI *ad Hierosolymorum ciuitatem; Quia si cognouisses & tu, & quidem in hac die tua &c. Nam si respondeamus, sententias has non ad res ipsas inanimatas pertinere, sed relatiuè intelligendas esse, vt Hieremias cum cælorum incolis, & Christus cum ciuibus loqui intelligatur; obiicies tu, vbi verba sunt clara, interpretatione opus non esse. Noli igitur Heerbrande, affigi*

Cap. 4 de diuin. nom.

verbis, sed, vt Magnus Dionysius monet, sensum ac vim percipe, & desine calũniari. Ad extremum perfacilis est illius argu-

Folio 56. a. spong.

menti solutio, quod refers hoc modo: Latria honor est, soli Deo debitus: sed nulla imago est Deus: ergo nulli imagini debetur talis honos.

honos. Procedit enim conclusio de imagine per se considerata, sic vt animus sit, diuinitatis existimationem illi conciliare: quod minimè licet; sed alia ratione honorandæ imagines sunt, vt tibi priùs copiosè explicaui. Lege attentiùs. Folio 235. Apolog.

REFVTATIO CAVILLATIONVM IN POSTREMVM APOLOGETICI CAP. VBI expositum est, venerationem sacrarum reliquiarum Idololatriam non esse.

H*OC loco cùm tu breuis fueris, ego longus esse non debeo. Nā & res ipsa est à me priùs exposita, & à te modò minimè impugnata. Fateris primùm, Sanctorū reliquias reuerenter tractādas esse, & honestè quoque illorum corpora terræ mandanda. Ego etiā professus antea sum, neq; me, neq;* Folio 58. b. spong.

vllum

Vide suprà quæ de Gersonis definitione, ab illo allegata, sũt dicta, circa cap. 2.

potest competere, diuinum honorem attribuere, vt ait Doctor clarissimus? aut potiùs, quando miser finẽ facies calumniandi Ecclesiam, & Sanctis impiè detrahendi. Sed ad sacras imagines veniamus.

DILVTIO CAVILLATIONVM IN VII. APOLOG. CAP. QVO IMAGINVM sacrarum cultus, ab Idololatriæ crimine est vendicatus.

EXPOSVI *priùs, & vt mihi videtur, planè, quemadmodum imaginibus in Ecclesia sic suus honor habeatur, vt longè tamen diuersissima ratione honorentur eæ res, quarum sunt imagines; ac proinde ne ipso quidem Christi imaginum cultu, diuinum honorem imagini per se deferri, sed Christo* DEO *ac Domino nostro. Quod tu Heerbrande, neq; refutare hactenus, neque intelligere potuisti. Quare cùm docti-*

doctrinam ipſam repetere ſuperuacaneum ſit, cauillationes tuæ tantùm, ſicut feci ſuprà, notandæ mihi erunt.

Ac primùm quod ad controuerſiam ipſam attinet, qua ratione partim ea facti ſit, partim qualitatis ſiue definitionis, quod hic iterum attingis, iam eſt à me ſuprà expeditum. Nam quòd ais, in confeſſo eſſe, adorare nos imagines: ſi adorationem nihil aliud, quàm venerationem ipſis conuenientem interpreteris, vt id verbum interdum à noſtris vſurpatur, verum eſt; ſed cùm de hoc conſtet, quæritur de facto rurſum, vtrùm eo animo & ratione imagines veneremur, vt honores illis diuinos, ſicut Deo adhibeamus; quæ eſt etiam facti quæſtio. Quanquam vtrùm hoc ipſum, & an ſolùm hoc Idololatria ſit, vt antea etiam docui, quæſtiones ſunt qualitatis. Quarum pars affirmans cùm fuerit iam aduersùm te conſtituta, probare nunc debuiſſes factũ, nẽpe nos honorẽ diuinũ habere imaginibus ſicut Deo. Vt ſi, quod ad quæſtionẽ qualita- Folio 48. b. ſpong. In deſeſ. quinti c. Apolog.

tis attinet, definiatur primò, furtum esse acceptionem rei alienæ, inuito Domino; & constet etiam, quod ad factum spectat, Petrum V. G. pecuniæ summam ab Ioanne accepisse; ac tum rursus de facto quæratur, inuitóne Ioanne acceperit, an lubente; quò ita demum definiri possit, fúrne fuerit?

Cap. 1. & 2. Apol. & suprà in corũ defens. *Sic iam est Heerbrande constitutum, Idololatriam esse solùm, creaturæ diuinum honorẽ sic attribuere, vt debet attribui Deo: & constat etiam, quod ad factum attinet, Catholicos eo genere venerationis imaginum vti, quod patet omnium oculis; sed quæritur de facto rursum, num illi eo animo & ratione imagines venerentur, vt ipsis per se diuinos honores attribuãt, sicut Deo, quò ita demum statui possit, num illi Idololatræ sint, an verò vos calumniatores mendaces.*

Folio 47. b. spong. Vide etiam fol. 233. in Apolog. ITAQVE *neque iam Heerbrande, inepti notam effugies, quòd hoc loco, vbi de facto agitur, Scripturæ testimonia requisiueris. Cùm autem hæc circumstantia facti,*

vt

vt vides, probanda tibi iam restet, duplici tamen de causa probare illam nō potes; primò quia neq; Deus es, neque valde perspicaci ingenio, vt de nostro animo meliùs tu, quàm nos ipsi iudicare possis. Deinde quoniam quid sit, honorem diuinum dare Deo, & alicui creaturæ vt Deo, etsi sæpe tibi explicauerim, nondum tamen intelligis. Itaque malè potes eam rationem siue circumstantiam facti comprobare, quam minimè nosti; præsertim cùm, si maximè eam nosses, ne tunc quidem illam in cultu nostro posses inuenire; nam abest ab illo quàm longissimè.

Vide folio 147. & deinceps in Apol.

SED *videamus reliqua. Iulianum Apostatam refers docuisse, gentiles etiam aliquos non ipsis imaginibus per se, sed repræsentatis rebus, vt nos, honorē detulisse. Audio: sed ad quósnam eum honorē referebāt? Nimirū ad Deos falsos. Sic enim ille inquit, vt tu ipse quoque imprudenter citas: Qui cupiditate tenentur sapientiæ, & res Deorum accuratè considerant &c.*

Folio 48. a. spong.

In Psal. 113.

AVGVSTINI locum, vbi de illis Ethnicis agit, qui honorem ad prototypum etiã referebant, multis de causis ordine enumeratis, priùs docui ad nos non pertinere, cùm nos venerationem imaginum non referamus, vt illi, ad creaturam aliquam, vt ad Deum: quæ tu iam non refellis, sed pertinaciter cauillationes tuas repetis, quas antè refutaui. Sic, quòd iterum illud inculcas: Non facies tibi sculptile &c. non indiget noua responsione.

Folio 250. & deinceps Apolog.

Fol. 48. a. & 54. b. spong. Ibidem b.

Exod. 20.

QVOD autem dixi, non absurdè putari posse B. Petrũ, cùm ab illicitis idolorũ cultibus, vt fideles cauerẽt, monuit, insinuauisse aliquẽ esse simulachrorũ cultũ licitũ, nẽpe, vt dixi, sacrarũ imaginũ, nõ ita intelligere debes, quasi voluerim ex D. Petri sentẽtia, aliqua idola gentiũ licitè potuisse honorari. Nam vt hunc sensum remouerẽ, illa verba addidi; Nempe sacrarum imaginũ. εἴδωλον enim græcè, iuxta nominis Etymon, imaginem siue simulachrum significat; tametsi eã vocem ad impia simulachra, vsus accommoda-

Vide folio 241. Apolog.

1. Petri 4.

Ibidem.

modauerit; in qua quidem significatione, nefas est, venerandas Ecclesiæ imagines nominare idola. Neq; aliam illam loci versionem, quam tu affers, tanti faciendã esse iudico, quanti vulgatam versionem. Folio 49 a. spong.

PERMIRVM *autem mihi fuit, tanta tamq; cæca cupiditate incensum fuisse te, in Apologetico meo aliquid ad calumniandũ inueniendi, vt putaueris, dicere me velle, venerationem imaginum, sentẽtia tua, in Scripturis nõ prohiberi. Sic enim interpretatus es illa verba mea: At non satis Heerbrando fuerit, quòd imaginum veneratio non prohibeatur in Scripturis: Scripturas requirit, quibus illa etiam probetur.] Quasi verò tua ut nunquam, aut rarò mihi obiecisses illud: Non facies tibi sculptile; vt de tua hæresi dubitare possem. Sensus orationis meæ fuit, te vtrumque, vt confirmarem, voluisse, videlicet & imagines non prohiberi, & illas deinde in Scripturis cõmendari. Itaq; cùm in me admodum immoderatè, velut in calumniatorem tuæ sentẽ-* Ibidem. Ita fol. 242. Apolog.

tiæ es inuectus, non tam in me, quàm in
Folio 50. a. spong. *cæcitatem et impotentiam tuam, homo furore cæcus, impetum fecisti. Quæ contra Ecclesiæ traditiones rursum opponis, aliâs*
Circa ca. 2. Apologet. *refutata sunt: & iam ex Augustino supra*
Galat. 1. *illud exposui; Si quis aliud Euangelizauerit.*
Deuter. 12. *Sic etiã sæpe iam docui, quàm peruersè loco illo, quem hîc repetis, abutaris, nempe; Quod præcipio tibi, hoc tantùm facito etc.*

NVNC *quod ad Patrũ auctoritates à te*
Vide in Apolog. fol. 244. & deinceps. *priùs allatas, & iã repetitas attinet, cùm à me priùs sufficiẽter etiam explicatæ sint, pauca tãtùm attingam. Epiphanij testimonia, quæ refers, sæpe sunt aliâs exposita; peculiariter autem, cùm ait; diabolus mortalem naturam in oculis hominum deificans, statuas, imagines humanas præseferentes, per artium varietatem expreßit &c. artificium & vsum prauum imaginũ, qualis viguit apud gentiles, notat. Et priùs*
Folio 248. Apolog. *docui, authoritate Epiphanij, nisi illum à nobis exponi patiamini, non minùs vrgeri vos, vt ne ad vsum quidẽ historicum, imagines*

gines vestris in tēplis toleretis. Nam illius de imaginibus sententiæ, ni rectè accipiantur, tum venerationem, tum vsum omnē imaginum æquè videntur condemnare. Quod cùm ego obiecissem tibi, respondes, historicum vsum imaginum à tuis tolerari vt adiaphorū. Atqui hoc Heerbrande priùs etiam dixeras; Sed illud ego contendebam, si tantopere Epiphanij verba vrgere velis, ne vt adiaphorum quidem, vsum imaginū tolerari debere; Quod expedire minimè potuisti. Iam Augustinus hæresim siue superstitionem priuatam Marcellinæ et Carpocratianorū, vt antea respondi, inter hæreses recenset, sed non totum ipsum genus venerationis imaginum, sicut tu antea & nunc etiam deprauas. Sic etiam Gregorij sententiam, quam ego tibi opposui, non recitas integrè, sed malitiosè præteris, quod ad meum institutum facit. Item cùm ais, me epistolam, quam tu ex illo allegasti, omisisse, planè facis iniuriam veritati: cum qua tibi maior Heerbrande, quàm mecum

Folio 51. b. spong. In disputat. prior. ca. vlt.

Hæresi. 7.

Folio 51. b. spong. Fol. 248. a. Apolog.

Folio 53. a. spong.

Ibidem.

Vide folio 247. &c. Apolog. & dispur. priorem cap. vltimo. Alanus Copus dialogo 4. & 5. *videtur esse controuersia. Lector videat et cõferat loca, et execretur fidẽ Hellbrãdinã.*

IAM si probare volebas, Synodo verè Francfordiana Nicenam alteram, quæ est habita pro imaginibus, fuisse damnatam, is erat tibi confutandus primùm, à quo dixi, figmentum hoc vestrum mendacij conuictũ
Fol. 53. a. *esse. Ego enim actum agere non constitui.*
Folio 53. b. spong. *Et Auentinus, quem citas, decipi ea in re potuit, sicut alij multi, quos vos decepistis. Tum doctrinam sententiamq́ Cassandri, si apud me pondus auctoritatis habere volebas, non debuisses mihi tu Heerbrande*
Folio 52. & 53. &c. *tantopere commendare. Ego enim sic sentio, qui vos vestraq́ nouerint, & tamen de rebus controuersis ea scripserint, quæ vobis probentur, eos certè, quamuis animo fortè sano, adeoq́ Catholici fuerint, (nullius enim personam iudico) vera tamẽ non scripsisse. Adeò mihi videmini iudicare falsum verum, & verum falsum. De*
In Psalm. 113. *Augustini loco, vbi illos Ethnicos commemorat, qui imagines per se non colebant, iam antea dixi, te non refutauisse explica-*

tionem

tionem meam; sicut nec ea conuellis, quæ de illa altera eiusdem Augustini sententia disserui; Quis autem adorat vel orat, intuens simulachrum &c. sed repetis more tuo. Habes quoque in Apologetico explicationem illius loci Apostolici: Qui cùm Deum cognouissent, non sicut Deum glorificauerunt, &c.

Ibidem.
Folio 254. Apolog.
Folio 55. spong.
Folio 158. Apolog.
Rom. 1.

QVOD *ad precationes eas attinet, quibus imagines in Ecclesia benedicuntur, non est opus ea repetere, quæ sunt à me dicta priùs, quæque satis erunt Lectori, ad eorum, quæ repetis, inanitatem perspiciendam. Nam quòd iterum, cùm aliter mea refutare non potes, mandatum Dei quæris, quo imagines benedicendæ sint, facis, vt superiùs dixi, Iudaicè; & pudere deberet te hac ratione toties testari, quod ad reliqua argumenta attinet, te esse victum, atque adeò omnino cecidisse causa; cùm hoc etiam inanissimum argumentum sit suprà confutatum. Quòd si verba precationum, interdum ad Crucem, vel imaginem dirigi*

In Apolog. folio 257. & deinceps.
Folio 55. & 56. spong.
Fol. 56. a.

Quomodo precationū verba accipienda sint cùm ad Crucem vel imaginem dirigi videntur. *videntur, ea, vt antè dixi, ad rem significatam spectare intelligenda sunt; vt cùm dicitur: O Crux aue spes vnica, &c. cum Christo sermo instituitur. Sed inquis tu, vbi verba sunt clara, interpretatione non esse*

Folio 56. a. spong. *opus.*] *Posses eodem argumento probare, ineptam esse illam orationem Hieremiæ:*

Hierem. 2. *Obstupescite cœli super hoc &c. imò illam*

Lucæ 19. CHRISTI *ad Hierosolymorum ciuitatem; Quia si cognouisses & tu, & quidem in hac die tua &c. Nam si respondeamus, sententias has non ad res ipsas inanimatas pertinere, sed relatiuè intelligendas esse, vt Hieremias cum cœlorum incolis, & Christus cum ciuibus loqui intelligatur; obiicies tu, vbi verba sunt clara, interpretatione opus non esse. Noli igitur Heerbrande, affigi*

Cap. 4 de diuin. nom. *verbis, sed, vt Magnus Dionysius monet, sensum ac vim percipe, & desine calūniari.*

Ad extremum perfacilis est illius argu-

Folio 56. a. spong. *menti solutio, quod refers hoc modo: Latria honor est, soli Deo debitus: sed nulla imago est Deus: ergo nulli imagini debetur talis honos.*

honos. Procedit enim conclusio de imagine per se considerata, sic vt animus sit, diuinitatis existimationem illi conciliare: quod minimè licet; sed alia ratione honorandæ imagines sunt, vt tibi priùs copiosè explicaui. Lege attentiùs. Folio 235. Apolog.

REFVTATIO CAVILLATIONVM IN POSTREMVM APOLOGETICI CAP. VBI expositum est, venerationem sacrarum reliquiarum Idololatriam non esse.

HOC loco cùm tu breuis fueris, ego longus esse non debeo. Nã & res ipsa est à me priùs exposita, & à te modò minimè impugnata. Fateris primùm, Sanctorũ reliquias reuerenter tractãdas esse, & honestè quoque illorum corpora terræ mandanda. Ego etiã professus antea sum, neq; me, neq; vllum Folio 58. b. spong.

vllum ex Catholicis Doctoribus contendere, recens mortuos, inhumatos relinqui debere. Sed illud ago, si Sanctorum reliquiæ non modò reuerenter tractentur & sepeliantur, vel alio decenti modo custodiantur, sed ea etiam ratione honorētur, quam Folio 264. Apolog. *prius exposui, non idcirco Idololatriā committi; cùm nō ideo creaturæ diuinus attribuatur honor sicut Deo, in quo solùm consi-* Folio 57. b. spong. *stit propriè Idololatria. Quod cùm tu iam negas, definitionē clarissimi Doctoris Ger-* a Circa c. 1. & 2. Apol. *sonis, quam antea probasti, negas: Item diuinæ Scripturæ & rationi repugnas, vt* [a] *suprà est à me copiosè demonstratum.*

b In oratione de obitu Theodosij Imperatoris, vbi inter alia ait; Helenā leuauisse Crucem Domini in capite regum, vt in regibus adoraretur. Vide folio 265. Apolo. c Fol. 58. a. spong.

[b] AMBROSII *locum sic exposui, vt debebat; nec tu aliter expositionem meam refutare potuisti, quàm* [c] *affirmando, verba mea, quibus ego sententiam illius explicaui, non esse verba ipsius. Quasi verò aliquid omnino exponere possit quis, nisi claritatis gratia alia verba vsurpet, distincta ab iis, quæ exponere constituit. Testaris iterum hoc modo Heerbrande, ex illis te esse,*

quos

quos Dionysius ait, solitos affigi verbis, neq; rem subiectam posse introspicere. Itaque vt antea quoque te admonui, sicut cæcus, cùm de coloribus agit, ita tu cùm disputas, verba tantùm concipere, de verbis loqui, & altercari perpetuò videris. Cap. 4. de diuin. nomin.

QVOD *præterea excusas, verba quædam, quæ Augustini non sunt, non tanquam illius, sed tanquam tua, sententiæ Augustini te adiunxisse, ne hoc quidem in te culpa vacauisse, priùs indicaui. Itaque non ita laboraui penuria materiæ, quam in te reprehenderẽ, sicut tu putas. Nam dum tu in illa suppeditanda vsque adeò liberalis es, ego ipsius inops esse non possum. Vide enim quid sequatur. Opposueras antea contra institutum Ecclesiasticum venerandi reliquias, sententiam quandam, Augustini nomine, his verbis: Talia multa propter quarũdam vel religiosarum, vel turbulentarum personarum scandala deuitanda, liberiùs improbare non audeo.] Locum autem cùm non citares, sed tantùm in margine* Folio 58. spong. Folio 268. Apolog. In priori disputat. conc. 164.

gine

gine Lectorem maiusculis etiam verbis admoneres, vt notaret bene, eoq; nomine suspectus mihi esses, modò epistolam August. 118. citas, in qua tamē nihil minùs reperio. Ita diligentia hac tua id consecutus es, vt suspicione quidem falsarij, quod ad locum hunc attinet, te liberaueris, sed tamen infamiam falsarij certam incurreris.

AVGVSTINVS sanè illud disputat, cùm quis priuatus in aliqua prouincia commoratur peregrinatúrue, cuius sit, quod attinet ad ieiunia, vel aliquod officium simile, diuersa consuetudo à consuetudine suæ prouinciæ, debere se ad scādala vitanda (qualia se aliquando cognouisse cōmemorat illic Augustinus) accommodare illis, apud quos agit. Nil autem minùs in mentem venit Augustino, quàm vt consuetudinem aliquam Ecclesiæ vniuersalē, qualis est hæc venerandi reliquias, improbandam esse iudicaret. Imò in eo ipso loco, insolentissimæ insaniæ esse dicit, de eo disputare, quod toto orbe frequentat Ecclesia. Tum eiusdem vni-

Vendicatur Augustinus à falsa Heerbrādi corruptela.

vniuersalis Ecclesiæ traditionum, honorificam mentionem facit. Nam cùm dixisset sic etiam tu, ad quam fortè Ecclesiam veneris, eius morem serua, si cuiquam nō vis esse scandalo, nec quenquam tibi] paucis interiectis, ita subiungit: Sensi enim sæpe dolens & gemens, multas infirmorū perturbationes fieri, per quorundam fratrum contentiosam obstinationem, & superstitiosam timiditatem, qui in rebus huiusmodi, quæ neq; Scripturæ sanctæ auctoritate, NEQVE VNIVERSALIS ECCLESIÆ TRADITIONE *(nota Heerbrande, an Augustinus solam Scripturam commendet, & num aliter de vniuersalis Ecclesiæ traditiōe, quàm vos, loquatur) neq; vitæ corrigendæ vtilitate, ad certū possunt terminū peruenire, tantùm quia subest qualiscunq; ratiocinatio cogitantis, aut quia in sua patria sic ipse consueuit, aut quia ibi vidit, vbi peregrinationem suam, quò remotiorem à suis, eò doctiorem factam putat, tam litigiosas excitant quæstiones, vt nisi quod ipsi faciunt,*

nihil

nihil rectum existiment.] *Quid hic, vbi de priuatis tantùm vel consuetudinibus, vel opinionibus agitur, inuenire potuisti Heerbrande, vt vniuersalem Ecclesiæ consuetudinem venerandi reliquias, Augustini sententia diceres, reprehēsione dignam esse? & vbi sunt illa verba, quæ tu, homo alioquin verbosus, & de verbis perpetuò litigans, Augustini verba esse dixisti; Talia multa &c? Vbi per [talia] vt tu fingis, intellexit Augustinus hoc loco etiam venerationem reliquiarum? Et tamen ausus impudenter es, quòd de tua fide in eo testimonio citando dubitauerim, appellare me sicophantam, & nescio quæ alia: Sed hæc est etiam in cæteris causæ tuæ æquitas.*

Lib. de moribus Eccles. ca. 34. *IAM quod idem Augustinus alibi significat, Ecclesiam Catholicam damnare adoratores picturarum, & sepulchrorum, ad superstitionem aliquam referendum esse dixi, qua sepulti homines, vel picturæ, pro numine aliquo colerentur. Neque tu Heerbrande probauisti, aut probare vnquam poteris,* Fol. 245. in Apolog.

poteris, illum de eo genere cultus imaginũ, & reliquiarum fuisse tunc loquutum, quod toto terrarum orbe vsurpat Ecclesia. De adulterinis reliquiis, quod repetis, iã sæpius audiuisti, priuatorum fraudes cauendas quidem esse, sicut cauet & cauit Ecclesia, vt tu ipse refers ex Cassandro; sed ob eas tamẽ pium per se Ecclesiæ institutum non esse accusandum. Quam tu rationem si non probas, prudentia etiam cares, quòd tibi, homini seni, & qui, vt ais, nondum sentias senectutis incommoda, est turpissimum.

Fol. 58. b. & 59. spong.

Folio 59. b. spong.

Folio 61. a. spong.

QVOD *tandem ægrè fers admonitionem meam, qua paucis te priùs, vt ad Ecclesiam redires, hortatus sum, & me potiùs vt ad illam redeam adhortaris, facis, vt aliud iam non dicam, inconsideratè. Nam cuinam esse redeundum censes? nónne illi qui exiuit? & qui nam, obsecro, exiuerũt? nósne ex vobis, an vos ex nobis? Quænam est illa Ecclesia Lutherana Heerbrande, ex qua Catholici, ante natũ Lutherum exiuerint, vt ad illã, adhortatore te, redire debeant?*

Fol. 60 a. & 61. quod est in spong. postremum.

Heerbrãdo & collegis redeundum ad Ecclesiam esse; quoniã illi ex Ecclesia exiuerũt.

beant? Age ostende nobis eam supra montem positam, ad quam omnes tanquam ad asylum, & commune salutis perfugium potuerint sese recipere. Vbi fuit ante centum, ducentos, trecentos, mille annos? quos habuit Episcopos? quos Doctores? quos hæreticos cōdemnauit et oppressit? qua ratione, quibus legibus, à quibus gubernata fuit? quæ Concilia celebrauit? de quibus controuersiis constituit? quæ sanxit? quem cursum habuit? quomodo propagata est & diffusa per orbem terrarum? An latêre semper & opprimi hæc tua Ecclesia potuit? aut si non latuit, nullæne res in ea dignæ cōtigerunt, quæ literis consignatæ posteritati commendarentur? Quam Ecclesiam somnias Heerbrande? quô nos hortaris vt redeamus? ad Synagogámne, vel ad antrum vestrum, vnde, cùm in eo non fuerimus, nunquã exiuimus? vbi tam noui, tã pauci, tam indocti, tamq; opinionibus dissidẽtes estis? vbi nullus ordo Antistitũ, quibus Deus Ecclesiam suam regi voluit, conspicitur, nulla recti cultus

Lutherani non possunt verã aliquã Ecclesiam suam ostendere, à qua desciuerint aliquando Catholici.

cultus cæremonia, pastor nullus, obedientia fidei nulla? Iudica, iudica tu, si iudicio penitus non cares, an non ego rectiùs postulabo à vobis, vt qui ex nobis miseri exiuistis, ad nos aliquando tandem redeatis? Iudica an non ego rectiùs, charitate Christiana, eorum calamitatem infœlicitatemq́; mœrere & deplorare possim, quorum tu tristissimæ ruinæ, tanquam phreneticus gratularis? Quanquam te, Heerbrande, eò miserabiliorem quàm illos esse iudico, quò scelestius crimen duco, veritatis odio perfidum ex animo esse, quàm ex rerum fluxarum cæca quadam cupiditate perfidiã fictè simulare. Quid enim? an adeò vobis non tantùm vera religio, et fides, sed etiam prudentia deest, vt animaduertere non possitis, quid illi, cùm ad vos se receperunt, fugerint, & quid quærant? Scilicet redire, vt tu Heerbrande, nimis simpliciter interpretaris, ad Ecclesiam volunt; intrare per angustam portam contendunt; crucẽ sequuntur; veterẽ hominẽ cum vitiis et concupi-

Vide D. Cyprianum, in lib. de vnitate Ecclesiæ siue de simplicit. prelatorum. & B. Aug. tract. 3. in 1. canoni. Ioan. super illud; Ex nobis exierunt, sed nõ erant ex nobis. 1. Ioan. 2.

scentiis crucifigere & exinanire constitu-unt; abnegare semetipsos deliberant; so-brietatis, castitatis, humilitatis, et reliquarũ omnium virtutũ, quæ apud vos in pretio maximo & vsu sunt, amore atq; studio incensi tenentur; eruditionẽ vestrã & subtilitatẽ docendi sectãtur; à vobis religionis nostræ mysteria, quæ apud nos ignorarunt, intelligere cupiunt. Tam estis Heerbrande, sinceri, vt ita vobis de illis persuadere possitis? A fructibus eorum cognoscetis eos: Videte modestiam, humilitatem, temperantiam, pietatem; obseruate quô eorum cogitationes & studia dirigantur omnia; & si planè cæci non estis, facilè dignoscetis eos, non Ecclesiam, vel Synagogam vestram, sed commoda sua quærere; non crucem, sed voluptatem sectari; nõ quemadmodum veterem hominem exuant, sed qua ratione fouere illum & recreare apud vos opportunè possint, cogitare: deniq; non admirari doctrinam vestram, sed ignorantia et simplicitate, ad vitiorum

impu-

impunem licentiam abuti velle. Quare nolite, nisi falli cum pudore & damno vestro, rerumq́; vestrarum vultis, illis credere, quoniam mihi credite, nihil illi minùs habent in animo, quàm vt credant vobis. Dominus, quæ sua est infinita bonitas, & vobis, vt corde ad iustitiam credatis, & illis vt quam prauis cupiditatibus in se obscurauerunt fidei veritatem, ore ad salutem confiteantur, vitamq́; suam corrigant, gratiam concedat.

AMEN.

LAVS DEO, ET SANCTISSIMAE VIRGINI.

ERRATA.

Pagina 55. versu 5. lege, quæ nihil aliud est. pag. 283. versu vltimo, lege, Et si. pag. 348. versu penult. lege, asserueram. pag. 397. versu 16. lege, tu aut.

PHI-

PHILIPPVS MENZELIVS MED. DOCTOR ET IN ACADEMIA INGOLSTA-diana Profeſſor,

CANDIDO LECTORI S.

LVCIS inops, animalis homo, ſpirātia cœlū
Non capit: Et ſolus (ſi vox eſt vera
Dauidis)
Corda hominum, renesq́; Deus ſcrutator ad imum
Veſtigat. Qua fronte igitur dilecta Sathanæ
Filia, centenos præpandens bellua rictus,
Bellua verſicolor, ventri nata, atq; pudendis,
Hæreſis allatrat Priſcæ Pietatis alumnos;
Obiectatq́; ferox: Patrum dum more ſacrorum
Cœlicolas Diuos in vota, precesq́; vocatos
Subſidio, colimus; nos defraudare Tonantem
Et cultu, et proprio; quem non feret alter; honore?
Tantáne vis olli; brutæ tam viuida mentis
Eſt acies, vt, quos tacito ſub pectore ſenſus
Incluſos gerimus, ſic altè conſcia noſtri,
Peruideat, noſcens meliùs, quàm nouimus ipſi?
Teſtamur ſuperos omnes, Superûmq́; Parentem
Iurati: Qui ſolus honos eſt Numinis, illum
Nos vni deferre Deo; non vertere Diuos
In reliquos; non Virgineæ tranſcribere Matri.

Hæreſis